

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Vindiciæ Qvorundam Locorum Hebræi Textus, Oppositæ
Dn. Paulo Pezrono, Abbati De Charmoys Et Doctori
Theologiæ Sorbonico**

Gebhardi, Brandanus Heinrich

Gryphiswaldiæ, [1705?]

VD18 11296305

urn:nbn:de:gbv:45:1-17477

pl. 4.

15

XV.

VINDICIÆ
QVORUNDAM LOCORUM

HEBRÆI
TEXTUS,

OPPOSITÆ

DN. PAULO PEZRONO,
ABBATI DE CHARMOYS ET DOCTORI THEO-
LOGIÆ SORBONICO:

PUBLICIS DISPUTATIONIBUS VENTILATÆ


IN

ACADEMIA REGIA GRYPHISWALDENSI

A

BRANDANO HENRICO
GEBHARDI,

SS. LITT. DOCT. ET PROFESS. ORD. CONSIST.
ASSESSORE, ET PASTORE AD D. JACOBI.



GRYPHISWALDIÆ,


PRELO DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

REG. ACAD. TYPOGR.

15.

pl. 4





VIRO

*MAGNIFICO, SUMME REVERENDO,
NOBILISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO,*

**DN. JOHANNI
DIECMANNO,**

**SS. Theologiæ Doctori Cele-
berrimo, Ecclesiarumq; per episcopatus
Bremensem & Verdensen Superinten-
denti Generali eminentissimo Theo-
logo de Ecclesia CHRISTI
meritissimo,**

PATRONO MEO VENERANDO.



*VIR Magnifice, Summe Reverende,
atque Excellentissime,*

Patrone observande.



Nter alios, qui corruptionem
Hebræo codici affricant, nomen suum
quoque profitetur DN. PAULUS PEZRO-
NUS, S. Theol. Doctor Sorbonicus, quem
quidem ad impugnandam integritatem
Hebræi Codicis non, ut alios, Vulgatæ
versionis falso credita autoritas impulit, sed nova quædam de
ætate mundi sententia. Existimat enim hic Autor CHRISTUM
natum esse anno ab orbe condito quinquies millesimo octin-
gentesimo sexagesimo octavo, sexque format usque ad nativi-
tatem CHRISTI ætates, quorum prima usque ad cataclysmum
2256. secunda à Diluvio usque ad digressum Abrahæ in Cana-
næam 1257. tertia ab ingressu Abrahæ in Cananæam usque ad
egressum Israëlitarum ex Ægypto 430. quarta ab Exodo usque
ad foundationem templi Salomonæi 873. quinta à fundatione
templi Salomonæi usque ad templi conflagrationem 470. sexta
ab excidio templi primi usque ad ruinam totius Reipublicæ
586. annos complectitur. Calculus Hebræi codicis ab hoc cal-
culo prorsus dissentit. Ut ergo hanc chronologicam senten-
tiam suam stabiliat Autor Clarissimus, Septuaginta-viralem
versionem in subsidium vocat, quæ apprime favet opinioni
suæ. Nonnulla deinde loca studiose conquirunt, quæ corruptelæ
speciem præ se ferre videntur, ut *Jos. XV. 60. Ps. XXII. 17. Deut.
XXVII. 26. Gen. XVII. 24.* & alia. Cum enim Hebræus Codex
huic asserto suo è diametro obstaret, quæcunque ex eo peti
poterant objectiones, non aliter removeri posse videbantur,

):(2

quam

quam si totum Codicem Judæorum malitia corruptum ac falsatum esse dictitaret. Quos quidem eo consilio depravasse Hebræum textum judicat, ne necesse haberent concedere Messiam, quem in diebus novissimis, i. e. ut ipse interpretatur, sexto millennio, venturum Scripturæ pollicerentur, eo tempore exhibitum esse. Hinc eos finxisse nato JESU Nazareno nondum quatuor millia annorum fuisse elapsa, atque ita feliciter elisisse vim argumenti, quod prima Ecclesiæ ætate ex temporis hujus circumstantia in illos fuerit à Patribus fabricatum. Confert idem Chaldæorum Ægyptiorum ac Chinesium Chronologiam, quæ numerum annorum mundi in Hebræis Bibliis expressum longe excedit. Atque hæc prolixè persequitur in libro quem vocat *l'Antiquité des tems rétablie & défendue contre les Juifs & les Nouveaux Chronologistes*, edito anno seculi non ita pridem elapsi octoagesimo septimo. Excitatus ipsi est adversarius de gente sua, nomine MARTIANÆUS, qui cum indigne pateretur ob quæstionem chronologicam & leves conjecturas Hebræum textum in suspicionem corruptelarum rapi, opposuit scripto PEZRONIANO Hebræi Codicis vindicias, vocatas *Defense de l'Hebreu*. Eas Cl. Dn. Autor sibi sumsit refutandas peculiari libro, quem edidit anno superioris seculi XCI. inscripto, *Defense de l'Antiquité des tems, ou l'on sentient la tradition des Peres & des Eglises contre celle du Talmud: & ou l'on fait voir la corruption de l'Hebreu des Juifs*. Hunc librum septem capitibus divisit, in quorum primo probat autoritate Patrum & Ecclesiæ, quod Messias non nisi sexto mundi millenario fuerit expectatus. In secundo ostendit Traditionem Talmudistarum, quod Messias quarto mundi millennio nasci debuerit, neque antiquioribus Judæis, neque Patribus fuisse notam. Deuterofes Judæorum novum esse Hillelis inventum, cujus successores eas illustraverint ac propagaverint, Rabban Simeon, Gamaliel, & imprimis R. Akiba: Eliæ traditionem de sex millenniis

MS.P

nariis



nariis novam esse, incertam atqve absurdam. In tertio de Flavii Josephi scriptis agit, eo solo arbitro, utpote notitia lingvæ Hebrææ perfecte imbuto, decidi controversiam de mundi ætate posse. Eundem vindicat adversus Martianæum. In quarto integritatem Hebræi textus omni ope convellit, sequens vestigia & Patrum & plurimorum Theologorum recentium, qui eam in dubium vocant, quorum catalogum exhibet. Opponit ipsi LXX viralem versionem, Historiam ejus recenset, eandemqve à CHRISTO & Apostolis approbatam & divina autoritate donatam esse multis allatis exemplis manifestum facere allaborat. Addit deinde plurima dicta ex Veteri Testamento, eaqve instituta collatione cum versione Græca depravata esse docet. Factam esse corruptionem malitia Judæorum, qui semper & voluntatem pariter & facultatem corumpendi textus habuerint: Eos præcipue vaticinia de CHRISTO depravasse, paratosq; semper fuisse non tantum mutilare dicta, sed & integros rescindere libros à codice Biblico. Atqve hoc facillime efficere potuisse Rabbinos beneficio autoritatis suæ, quæ toti genti sit irrefragibilis. In quinto ostendit antiquos Christianos Hebræum textum nunquam habuisse pro authentico, neqve eo fuisse usos. Primum Origenem eum tractasse, ita tamen ut ei nunquam tribuerit authenticam. In sexto definit corruptionis factæ tempus, nempe intra excidium templi & initia imperii Adriani. In septimo imprimis confirmat autoritatem LXX Interpretum plurimis testimoniis. Brevibus recensui, quæ in utroq; scripto PEZRONIANO continentur, & ea quidem, quæ videbantur notabiliora. Ex his autem mihi examinanda sumsi dicta Scripturæ, quæ Cap. IV. cum ex Hebræo V. T. tum ex Græco N. T. textu allegantur & corruptelarum accusantur. Videbar mihi ratione officii ad ejusmodi laborem obligari, non tantum ut à falso imputata impuritate vindicarem Hebræum textum, sed & ut

ostenderem quam palpabiles Solœcismi in sacrum Codicem invehentur, si juxta mentem Cl. Dn. Autoris ad ductum LXX Interpretum emendaretur. Restant autem complura alia, quæ etiam modesto examine ponderari merebantur, quæq; lubens aggressus fuisset, nisi accepta ad aliam professionem vocatione, ea relinquere & alium occipere laborem divinitus fuisset jussus. Relinquo ergo hæc, si forte nondum sunt scripto publico examinata, futuro Successori meo, quem non dubito etiam cætera, quæ ad muniendam integritatem Hebræi Codicis pertinent, feliciter esse expediturum, & defectus meos amice suppleturum. Liceat autem mihi hunc libellum Tibi, Vir Magnifice, offerre, Tuoque celeberrimo nomini inscribere. Liceat mihi hoc ipso testari meam erga Te observantiam, amoremq; quo me immerentem prosequeris, confirmare. Quantæ Tibi curæ sit studium Biblicum & Hebræi Codicis integritas, orbis literatus ignorare non potest, prostantibus scriptis, zeli Tui pro defendenda Hebræa veritate indicibus locupletissimis. Infidet Juvenibus ex agro Bremenfi ad nos commeanibus singularis cupido tractandæ lingvæ Hebrææ, Tuo inflammata & exemplo & fideli commendatione. O quam feliciter effloresceret Hebrææ literaturæ seges in Scholis Germanicis, si ubivis Tui similes inveniret fidos sincerosqve commendatores! Servet Te DEUS & rei literariæ & Ecclesiasticæ, meqve Tuo adhuc diu amore ac patrocínio frui largiatur! Vale.

Summe Reverende Dignitatis Tuæ

Dabam 4. April.

1705.

Cultor perpetuus

BRANDANUS HENRICUS GEBHARDI, D.

Index



Index locorum Scripturæ S.

quæ hic partim vindicantur,
partim explicantur.

- | | |
|---|--|
| <p>Gen. II. 24. pag. 167.
 Gen. XVII. 14 pag. 111-120.
 Deut. VI. 16. pag. 155.
 Deut. VIII. 3. pag. 154.
 Deut. XXIII. 17. 18. pag. 121-130.
 Deut. XXXII. 36. pag. 147.
 Deut. XXXIII. 6. pag. 130-133.
 Jos. XV. 58. 59. 60. pag. 133-139.
 Job. XIX. 25. 26. pag. 77-87.
 Job. XXX. 1-10. pag. 87-96.
 Ps. II. 6. 7. pag. 1-8.
 Ps. VIII. 3. pag. 9-10. 159.
 Ps. XIV. 3. 4. pag. 139-142.
 Ps. XVI. 10. pag. 11-15.
 Ps. XIX. 4. pag. 15. 16.
 Ps. XXII. 17. pag. 25.-32.
 18. pag. 32.
 2. pag. 34-39.
 Ps. XL. 7. pag. 39-42.
 Ps. XCVI. 10. pag. 43-48.
 Ps. CX. 3. pag. 49-54.
 4. pag. 54-58.
 Es. III. 10. pag. 148.
 Es. VI. 9. pag. 156.
 Es. VII. 14. pag. 161.
 Es. IX. 1. pag. 164.</p> | <p>Es. XXI. 11. pag. 143.
 Es. XXVIII. 16. pag. 183.
 Es. XXIX. 13. pag. 157.
 Es. XL. 3. pag. 164-177.
 Es. LIII. 4. pag. 165.
 8. pag. 102-111. 179.
 Es. LVII. 1. 2. pag. 97-102.
 Es. LXI. 1. seq. pag. 169.
 Jer. XI. 19. pag. 58-67.
 Jer. XXXI. 15. pag. 163.
 Dan. XII. 3. pag. 167.
 Hof. XI. 1. pag. 163.
 Amos V. 26. pag. 73-77.
 Amos IX. 11. pag. 181.
 Mich. V. 1. pag. 161.
 Zach. IX. 9. pag. 67-69.
 11. pag. 69-72.
 Mal. III. 1. pag. 165.
 48. pag. 146.
 1. Macc. VII. 17. pag. 148.
 2. Macc. VII. 6. pag. 146.
 Sap. II. 12. pag. 148.
 Matth. I. 21. pag. 160.
 Matth. II. 6. pag. 161.
 15. pag. 163.
 71. 18. pag. 163.</p> |
|---|--|

Matth. III.

Matth. III. 3. pag. 164.

Matth. IV. 4. pag. 154.

7. pag. 155.

10. 15. 16. pag. 164.

Matth. VIII. 17. pag. 165.

Matth. XI. 10. pag. 165.

Matth. XII. 18. sq. pag. 166.

Matth. XIII. 14. 15. pag. 156.

43. pag. 167.

Matth. XV. 7. pag. 157.

Matth. XIX. 5. pag. 167.

Matth. XXI. 16. pag. 159.

Matth. XXII. 37. pag. 167.

Luc. III. 4. 5. pag. 177.

Luc. IV. 17. pag. 169.

Act. VIII. 32. 33. pag. 179.

Act. XV. 16. 17. pag. 181.

1. Petr. II. 6. pag. 183.

Nomina DNN. RESPONDENTUM.

DN. BARTHOLOMÆUS SCHWABE, Stralsfund.

31. Decembr. 1704.

DN. GOTHOFREDUS HOPPIUS, Pinnoviensis Pom.

28. Jan. 1705.

DN. NICOLAUS FRESE, Altenvehra Rüg.

7. Febr. 1705.

DN. BALTHASAR ALBERTI, Stralsfundensis.

14. Febr. 1705.

DN. JOH. ADAMUS VEHRUS, Stralsfundensis.

21. Febr. 1705.

DN. HENRICUS SCHMIDT, Wolgasto Pom.


7. Martii 1705.

DN. ALBERTUS HENRICUS SLEDANUS, Stralsfund.

23. Martii 1705.

DN. JOH. SEBASTIANUS SCHÜLER, Ukermund. Pom.

17. April. 1705.



PAULUS PEZRONUS, Doctor Sorbonicus, ediderat anno 1687. librum inscriptum *L' Antiquité des tems rétablie & défendue contre les Juifs & les nouveaux Chrologistes*: in quo hunc sibi scopum præfixerat, ut evinceret, à mundo condito usq; ad CHRISTI nativitatem jam quinqvies mille octingentos & sexaginta octo annos fuisse elapsos. Cui suæ hypothese cum præcipue ex LXX virali Bibliorum versione præsidium quæreret, id sibi negotii datum esse credidit, ut falso adscriptam ipsi à quibusdam Patribus *diversis* omni ope corroboraret. Cum autem à quodam Monacho MARTIANÆO impugnaretur, opposuit ei anno 1691. operis sui vindicias, quibus hunc titulum dedit: *Defense de l' antiquité des tems, où on soutient la tradition des Peres & des Eglises contre celle du Talmud; & où l' on fait voir la corruption de l' Hébreu des Juifs.* In quo opere cum Autor Clarissimus magno conatu operam det, ut Hebræum textum corruptelarum arguat, adq; hanc suam hypothese confirmandam quædam adducat ex Psalmis corruptionis exempla, visum est ea paululum considerare, & factæ corruptionis suspicionem à locis allegatis abstergere. DEUS bene vertat laborem nostrum!

Primum falsationis indicium profert Cl. Dn. Autor ex Psalmo II. 6. 7. cujus loci veram & genuinam lectionem adhuc in versione græca exhiberi autumat. Adducemus textus sibi oppositos.

Psalm. II. 6. 7.

VERA lectio est juxta Interpret. LXX. & Vulgatam: V. 6. p. 179. sic.
 EGO CONSTITUTUS SUM REX AB EO SUPER SION P. 178.
 MONTEM SANCTUM EJUS, PRÆDICANS PRÆCEPTUM.

A

PTUM.

PTUM. V. 7. DOMINUS DIXIT AD ME, FILIUS MEUS ES TU, EGO HODIE GENUI TE. *Lectio vero corrupta secundum textum Hebraum est: vers. 6. ET EGO CONSTITUI REGEM MEUM SUPER SION MONTEM SANCTUM MEUM: V. 7. ENARRABO DECRETUM: DOMINUS DIXIT AD ME: FILIUS MEUS ES TU, &c.* Inter hos duos textus magna est differentia, tam quoad verba, quam quoad sensum: In illo CHRISTUS loquitur; in hoc DEUS Pater. Juxta illam lectionem omnia recte fluunt: Juxta hanc male coheret textus: Apparet ergo Judaeos falsasse textum.

Resp. 1. Dist. inter cohærentiam vere vitiosam & apparenter vitiosam: Illa corruptionem infert, hæc minime. Quod nobis vitium videtur esse in connectione, non ex defectu textus est, sed ex defectu nostri intellectus. 2. Falsum est aptius cohærere verba in Græco quam Hebræo textu, id quod ostendi facile potest: Græcus textus ita connectitur: v. 1. 2. *Gentes se opponunt Evangelio, dicentes, v. 3. Disrumpamus vincula Jehova & CHRISTI ejus, v. 4. At vero DEUS videns ipsorum conatus, v. 5, dicet ad eos in ira sua. Hic in textu Græco sequuntur verba Messia: Ego autem constitutus sum Rex &c.* Annon hæc hiulca oratio est? Jehova Pater Messia introducebatur loqui in textu, & oratione sua conturbare hostes Evangelii: Quænam ergo est oratio ejus? Annon illa necessario subjicienda erat? Sane quæ proxime sequuntur in textu Græco non sunt JEHOVÆ Patris verba, sed Messia filii. Annon ergo manifestum est, verba Hebræi textus genuina esse, quæ Jehovæ Patris orationem exhibent, atque hoc modo secundum Hebræam veritatem rectius cohærere textum: *Jehova Pater alloquetur eos, ita ipsos conturbaturus:*

urus : Ego vero unxi Regem meum super Sion montem sanctum meum. Clarissimus Autor negligit connexionem verborum cum præcedentibus, tantummodo inquirat nexum cum subsequens. Utraque certe observanda est. Apertum autem quod juxta vulgatam & LXX viralem versionem nulla sit textus connexio cum verbis præcedentibus. Hebræus contra textus utrinque aptissimam habet *נָסַכְתִּי עַל צִיּוֹן*.

Quinam ergo tribuenda erunt verba : Narrabo decretum? p. 176. med.

Resp. Verba *Narrabo decretum* Messia sunt, qui per totum Psalmum loquitur, ita tamen ut introducat quoque loquentes alios, primo Gentes v. 3. deinde Patrem suum & quidem bis v. 6. & v. 7. 8. 9. Loquitur autem de se in persona tertia, qualis loquendi mos ipsi quoque ab Evangelistis in N. T. assignatur. Messias infit : v. 1.

Quid se opponunt Gentes Jehova & CHRISTO ejus v. 3. dicentes : *Dirumpamus vincula eorum*, v. 4. Enimvero ridet Jehova inania ipsorum consilia, v. 5. ita ipsas iratus compellaturus, v. 5. *Ego unxi Regem meum* &c. v. 6. 7. 8. 9. *Agite hæc verba vobis explicabo : Jehova dicit ad me Filius meus Tu es*, &c. v. 10. *Que cum ita sint respiscite*, &c.

Quod si juxta versionem LXX viralem & vulgatam corrigendus esset textus Hebræus, ita olim lectum fuisset : *נָסַכְתִּי עַל צִיּוֹן מְסַפֵּר אֵל הוּא* *unctus sum super Sione predicans decretum.*

Atqui hæc lectio parum Hebraica est, præsertim si eum sensum habere debet, quem ipsi assignat Autor : *Constitutus sum Rex ab eo super Sion, i. e. super* p. 178. pr. *Ecclesia, pour y annoncer, ad annunciandum hominibus præcepta doctrina Evangelica.* Juxta hunc sensum enim legi debuisset in Hebræo *נָסַכְתִּי עַל צִיּוֹן לְסַפֵּר אֵל הוּא* *Constitutus sum super Sione ad narrandum decretum.* Manifesta enim p. 179. pr.

diversitas est propositionum : *Ego qui prädico decretum unctus sum, & : Ego ad prädicandum decretum unctus sum* : Cum itaque hic LXX viralis versio Solöcismum in Hebræum codicem inferat, illa ex hoc emendanda est, non hic ex illa.

p. 178. fin. 2. *Invexerunt Judæi corruptelam hanc in textum Hebraeum 179. pr. non alio sine, quam ut Psalmum qui de CHRISTO explicatur med. ab Apostolis, ad Davidem referant : ut obstruere os Christianis possint, CHRISTUM pro filio DEI agnoscentibus. Ab antiquis enim Hebræis non de alio quam de Messia fuisse acceptum ipsi Rabbini Kimchi & Raschi fatentur.*

Resp. 1. Ad pervertendum Psalmi sensum minime opus habebant Judæi vel verbum immutare. Utraque enim lectio sive Græca sive Hebraica, ad Regem Davidem detorqueri poterat. Quod si corrumpendi ipsis fuisset animus, commodius intrufissent nomen Davidis, *Ego unxi Davidem Regem meum, &c.* Quæ autem firma ratio est quod Græca versio omnem detorsionis metum excludat? Certe nullam hic affert Autor Clarissimus. Æquæ vero abuti Judæi possunt verbis versionis Græcæ ad palliandam suam de Davide hypothesin, ac verbis Hebræi codicis abutuntur. Ut nos Messiam in Psalmo loqui asserimus, ita illi Davidem loqui dictitant. Quod si ergo ipsis ex Græca versione hypothesis sua defendenda esset, ita Psalmi verba connecterent : *Quid sese, inquit David, opponunt Philistæi Jehova & mihi Messia suo &c. Ego à Jehova sum Rex constitutus, &c. Dominus dixit ad me. Tu es Filius meus, &c.* Quæso quid Cl. Autori præsidii hic est in versione Græca adversus *Ἰουδαίους* Judæorum? Nihil omnino. Alia ipsis opponenda sunt argumenta ex ipsis textus visceribus petita, ab imperio

rio universali v. 8. à potestate damnandi v. 9. & beandi v. 12. aliisque Messiaë hic descripti τεκμηρίοις desumpta, quæ in Davidem non cadunt. Sic nec ad eludendum argumentum pro Deitate CHRISTI ab eo quod à DEO genitus dicitur, opus habebant prædicta corruptela. Non enim olim tantum fuere Judæi qui Psalmum de Messia interpretarentur, sed & recentior AbenEsra haut invitus, omnia quæ sunt in textu de Messia accipit. Ut alii filium DEI Davidem dicunt, eo quod à DEO unctus, Rex constitutus, donisq; multiplicibus ornatus fuit, ita eodem sensu prædicatum hoc Messiaë assignant, quo supposito non inferri potest Messiam esse verum DEUM.

2. Ex eo quod Kimchi & R. Salomo fatentur olim Psalmum de Messia ab interpretibus fuisse intellectum, detorsio quidem & perversio sensus deduci potest, non autem verborum & textus Psalmi corruptio. Fatentur recentiores se diffidere quoad sensum Psalmi à veteribus. Jam vero dissensus & oppositio sunt circa idem. Necessè est ergo eundem Veteres & recentiores habuisse Psalmi textum. Si ergo Veterum textus, qui Messiam exhibet, non est depravatus, nec recentiorum textus corruptus aut falsatus dici potest, etiamsi detorqueri possit ad subjectum spurium.

3. Si Judæorum causæ tam incommodant verba: Tu es filius meus, ut propterea textum corrupisse dicantur, mirum est, quod v. 12. verba נשקו כר osculamini filium, quæ AbenEsra manifesto ad Messiam defert, non expunxerint. At qui hæc non leguntur in LXX virali versione, quæ habet ἀπαλαύσατε τὰς μαθητάς: Vulgata, apprehendite disciplinam, quasi in Hebræo primitus legissent קחו מסו. Si ergo tantum interest causæ Christianorum, Messiaë honorem

& nomen Filii DEI manere, annon commodum & utile foret verba *osculamini filium* extare in Græca & Vulgata versione? Pono olim lectum fuisse in Hebræo קחו מיסר *apprehendite disciplinam*, quid inde lucrati fuissent Judæi, si expunctis his verbis substituissent בר נשקו *osculamini filium*, quæ AbenEfra de Filio DEI Messia exponi debere fatetur? Hodie in pervertendo verborum horum sensu anxie defudant Judæi: Annon his curis superfedere possent, si reliquissent in textu קחו מיסר si illud fuisset genuinum?

p. 179. fin. Quid sub finem seculi primi & initium secundi fuerit facta
p. 180. med. Hebrai textus corruptio, probo ex versione Aquila. Hic suo tem-
p. 182. fin. pore invenit in Hebræo textu verbum sanationem notans, ver-
tit enim ἐδιασάμην τὸν βασιλέα μ. i. e. j' ay gardé mon Roy
sain & sauf. Hac versio minime concordat cum lectione Græca,
Ergo Aquila jam tum corrupto usus est exemplari.

Resp. 1. Mala illatio est: Aquila male transtulit vocem Hebræam, Ergo illa fuit jam tum corrupta. Hoc sequitur ergo non intellexit, Ergo supposuit in voce significatum spurium. Quid si vox נסכת sustinere potest *sanandi* significatum, annon temere asseritur Aquilam corruptam vocem in Hebræo invenisse? Et certe potest: Notat enim *unxi*. Jam vero ope *χρισμάτων* morbos sanare Orientalibus erat solenne, ceu patet ex Ep. Jacobi. Cap. V. 14. Non ergo hic aliam invenit vocem quam quæ nunc extat נסכת. 2. Pejor adhuc illatio est: Aquilæ versio non consentit cum textu Græco: Ergo ex corrupto codice eam concinnavit. Id enim in quæstione est utrum Græcus textus sit genuinus an Hebræus. Hic ponit Autor Cl. quod probandum erat.

Cum

Cum autem Judæi pertimescerent, ne ex hac Aquilæ versione p. 180. pr. nimis clare sua fraus deprehenderetur, dejecta priore voce, quæ sanandi sensum habebat, pro Nisachti, substituerunt, Nasachti, ordinavi, converso tantum passivo in activum.

Resp. 1. Ostensum paulo ante est *נָסַחְתִּי* etiam sensum *sanandi* portare posse. Non ergo Judæis ex incommoda Aquilæ versione metuenda erat corruptionis factæ suspicio. Neque ulla mutandi causa, siquidem sive activum, sive passivum legas, primum Psalmi subjectum nihil movetur. 2. Si mutatio ac corruptio à Judæis inuenta est, supponendum est eam communi omnium per orbem Judæorum suffragio fuisse factam. Æqualis enim omnium Hebræorum codicum dissensus est à LXX virali versione. Quod si nonnullæ tantum Synagogæ in corruptionem codicum conspirassent, eæ quæ in corruptorum consilia non consensere, retinuisent exemplaria genuina, concordantia per omnia cum Græcorum versione. At talia nusquam extant. Si igitur communi omnium per orbem Judæorum consilio facta est corruptio, an obsecro res tam gravis & momentosa latere potuit Christianos, suas seculo secundo jam in omnibus fere regionibus habentes Ecclesias? An non perspicacissimi ad quosvis Diaboli motus Episcopi actutum persensissent, siquid ejusmodi molita fuisset universalis Judæorum Synagoga? Annon illud indicassent Judæi qui omnibus temporibus ad Christiana sacra transibant? Cum itaque res tam ponderosa non potuisset non innotescere Ecclesiarum per orbem Episcopis, quid est quod si corruptio actu facta est, Judæos non aperte sceleris talis arguant? quid hæsitant? quid conjecturis feruntur amore LXX Interpretum fascinati? *Vide-*

p. 180. med. Videtur ergo in genuino exemplari Hebræo lectum olim fuisse
 VAANI NISSACHTI MALCO ALSION HAR CADOSCHO,
 juxta lectionem grecam, pro quo hodierni codices falso legunt,
 VAANI NASACHTI MALCI AL SION HAR CADOSCHI.

Resp. I. Nulla hæcenus adducta est factæ mutatio-
 nis probatio, Ergo nobis non videtur aliam seculo
 primo fuisse versus controversi lectionem, ac quæ nunc
 est. Imo hoc non tantum non videtur nobis, sed &
 persuasum est certis & solidis argumentis. Si ea olim
 fuit in Hebræo lectio, qualem exhibet Clarissimus
 Autor, non illa genuina est, sed vitiosa ac spuria.
 Habet enim duo extantia vitia, aliena ab Hebrææ lin-
 gvæ indole. Alterum enim in regulas punctationis
 peccat, alterum in leges suffixionis. Mala punctatio
 קרושי pro quo scribi debuisset קרושי eo quod kametz
 penultimum accedente incremento mutandum est in
 Scheva. Præterea nec suffixum ordinarium suum
 locum occupat. Mos enim Hebræis non est prono-
 mina adjectivis suffigere, sed substantivis. Hinc ita
 scribi debebat: על הרי הקרושי super monte suo sancto,
 aut elegantius על הר קרושי super monte sanctitatis sue.
 Videtur autem Cl. Autor Hebræa verba ad vulgatam
 versionem exprimere voluisse, quæ non legit, super Sion
 montem ejus sanctum: sed ita verba ordinat: super Sion
 montem sanctum ejus. Hunc ordinem presse sequitur
 Autor Cl. atq; ita Hebræum textum, quem Aposto-
 lorum tempore adhuc integrum fuisse dicitur, no-
 stroq; tanquam spurio & corrupto opponit, vitio coin-
 quinat inexcusabili.

PSALM.



PSALM. VIII. 3.

Genuina lectio LXX. Interpretum est: EX ORE INFANTUM ET LACTENTIUM PERFECISTI LAUDEM PROPTER INIMICOS, &c. Spuria Hebræi codicis: EX ORE INFANTIUM ET LACTENTIUM FUNDASTI FORTITUDINEM PROPTER HOSTES TUOS. Probatur: quia CHRISTUS p. 159. fin. Matth. XXI. 16. confusus Phariseos, ita verba ex Hebræo citavit prout jacent in versione græca. Apparet ergo Salvatoris p. 190. pr. med. judicio genuinam esse lectionem Græcam, Hebræam spuriam. p. 181.

Resp. Diversa est citatio CHRISTI & Matthæi. p. 182. Matthæus verba ex græco citavit. Scripsit enim non Hebræis tantum, sed & gentibus, græco sermoni assuetis, proinde Græca versione uti placuit, quoad ab Hebræa veritate non aberrabat. Contra CHRISTO negotium erat cum Pharisæis Hebræa callentibus. Ergo ex Hebræo codice allegavit Psalmi verba, & ita quidem uti adhuc leguntur. Etsi enim verba Hebræi & Græci textus discrepant, sensus idem est.

Non est idem sensus: nec ulla textus Hebræi cum scopo CHRISTI conformitas: quia si hodie ex vobis Hebræi textus argumentum peteret pro laudatione infantum, nonne videretur à Judeis? nonne accusaretur falso allegata Scriptura? p. 160. med.

Resp. Minime, nisi ab iis qui phrasin Hebræam non intelligunt. Sensus laudationis in utroque textu est, tam Græco quam Hebræo. Sed in Hebræo major est elegantia & profundior emphasis, quam nec græcus nec vulgatus interpres potuit exprimere. Synthesis est in verbis: *Ex ore infantum fundasti robur*, per duas diversas propositiones resolvenda: *Fundasti robur in corde infantum, quod patefaceret ore.* Robur hoc est robur fidei, quæ clypeus adversus Satanæ tela, *Ephes. VI. 13.*

B

14. 15.



14. 15. 16. 17. Hoc fundatur in corde. Profertur autem ore, per confessionem & laudem. Duo ergo conceptus sunt in phrasi, fidei & laudis: Græcicum utrumq; exprimere non possent, alterum tantum exhibuerunt. Conceptum laudis ipsi Judæorum interpretes in Hebræa phrasi agnoscunt, quorum unum atq; alterum testimonium allego. R. Mose adducente AbenEsra ita exponit: מפי עוללים אם לא ידברו כפיהם הם בעצמם יורו לחסדיך כי תכלכלם ותפרם ותרכם בגונם באורך וברוחב
Ex ore infantum i. e. etsi nondum possunt loqui ore suo, tamen per se ipsos laudant misericordias tuas, quod ipsos sustentas, quod crescendi vim das in longitudinem & latitudinem.
 R. Salomon השירים השניות שכנתך במקדש ותקנתה מפי עוללים להודות לך עו מפי הלויים והכהנים
Ex ore infantum & c. i. e. Collocasti gratiosam tuam presentiam in Sanctuario, in eum finem ut Levite & Sacerdotes ore suo decantent tibi robur. Jalkuth Thora & Medr. Till. in hunc locum עללים אלו שכמעט אמן ויונקים אלו שכחוץ אלו ואלו אמרו שורה ההר מפי עללים ויונקים יסרת עו
Per Olelim intelliguntur embryones qui adhuc sunt in utero matrum: per Jonekim lactentes, qui jam sunt exclusi: tam illi quam hi decantarunt Psalmum juxta id quod scriptum Psalm. VIII. 3. Ex ore infantum & lactentium fundasti robur. Quod si ipsi Rabbini sensum laudis in phrasi hac ponunt, annon male eorum Majores corruptionis accusantur, eum in finem factæ, ut laudationis sensum à textu Hebræo eliminarent? & annon verba quæ nunc in Hebræo leguntur apte quadrant ad scopum Salvatoris? Moderni Judæi Psalmum non de Messia, sed de Adamo primo homine agere dictitant. Quod si majoribus ipsorum propositum fuisset Psalmum hunc falsare, non potuis-
 sent

sent facilius verum Psalmi subjectum pervertere quam si tantummodo pro **וכן אדם** & *filius hominis* posuissent **אדם ומה אדם** & *quid Adam*?

PSALM. XVI. 10.

Genuina lectio est Græcorum & Vulgate, probante Petro, p. 208. sic. Actor. XIII. 35. **NEC DABIS SANCTUM TUUM** p. 209. pr. **VIDERE CORRUPTIONEM.** Spuria ac corrupta est Hebræi textus: **NON DABIS SANCTOS TUOS AD VIDENDUM FOVEAM.** Dæ corruptelæ sunt in hoc textu: Una est, quod positum est **SANCTOS** pro **SANCTUM**, quæ facta propterea est, ne Psalmus de Domino **JESU** exponi posset.

Resp. 1. Ex unius vocis forma singulari infirmum admodum pro genuino Psalmi subjecto ducitur argumentum. Olim Synagoga Psalmum de Davide accepit, uti patet ex disputatione S. Petri, Actor. XIII. 36. Hodie plerique de Israël exponunt. Quod si tantum sibi præsidii Judæi esse existimarunt in plurali forma vocis **קַטְוִי** ad evertendum genuinum Psalmi subjectum, an eos censes voci subjecturos fuisse talia puncta, quæ genuinam lectionem adhuc superesse arguunt, & ad marginem notare **יותר ויר** *Jod est in voce superfluum?* Quod apertius testimonium pro vera lectione **קַטְוִי** afferri potuit? Ego vero nunquam mihi persuaderi patiar, Judæos, qui fraudulenter depravasse Scripturas Hebræas perhibentur, si tantum scelus admisissent, tam dementes futuros fuisse, ut falsati textus indicia ubique & in punctatione & in notis marginalibus exhiberent. Quod si hujus textus falsatio jam seculo secundo facta est, quare Chaldæus, quem Cl. Autor seculo IX. vixisse asserit pro plurali legit singularem **קַטְוִי** *Sanctum tuum*? Reliquæ Psalmi propositiones

B 2

omnes



omnes unicum individuum indicant quibus unius hujus vocis signum plurale nihil præjudicat, præsertim cum tanquam spurium à Masora è voce ejicitur. Expendantur attente Psalmi prædicata, nullum alium quam MESSIAM indicabunt. Is de quo Psalmus agit describitur, tanquam Sacerdos victimam & preces offerens, v. 4. habens hæreditatem, quæ Sancti, v. 5. justitiam suis, quæ coram DEO pulchri appareant, communicans v. 5. semper faciens voluntatem Patris sui cœlestis v. 8. expers corruptionis, v. 10. Hæc & alia conjunctim sumpta neque in Davidem, neque in Synagogam Judaicam accidunt, manebit ergo verum Psalmi subjectum MESSIAS.

Nota Masorethica non nisi ad decipiendos Christianos addita est. Cum falsationis ex hoc loco incusantur Judæi, negant Jod plurale legendum esse, ut ita suspicionem corrupti textus declinent. Contra urgent Jod plurale in voce, ne necesse habeant admittere verba hæc de uno MESSIA loqui.

Resp. Nota Masoretharum est, *Superfluum est Jod in מסוריה*. Quo ipso non innuitur literam Jod non pronunciari debere. Hoc enim monito nihil opus fuisset, cum Jod sit litera quiescens, cujus sonus in pronuntiatione non percipitur. Sed hic est notæ sensus, nullam esse literæ Jod in voce מסוריה significationem. Pluralem alias significat. Quia autem per hæc notam ipsi in מסוריה omnis significatio tollitur, simul asseritur vocem singularis esse numeri & significationis. Aperte ergo & candide fatentur Judæi hæc nota corruptelam à voce מסוריה exulare. Dum itaq; hæc nota voci singularis sua forma & significatio fortissime munitur, indoctum ac simplicem Christianum illum

illum esse oportet, qui pluralem vocis formam & sensum sibi adhuc à Judæis persuaderi patiatur. Esto quosdam Judæos in plurali sensu vocem interpretari, quod fit in versione Amstælodamensi, ubi exstat, *deine Frommen* / annon si de forma vocis duntaxat esset disputatio, facile illi ex nota Mosorethica refutari possent? Enimvero certum est Judæos, qui vocem plurali sensu efferunt, non niti plurali vocis forma, sed genio lingvæ Hebrææ, quæ magno cœtui sæpe nomen individuale solet imponere. Sic Israël vocatur Mater, Sponsa, columba, turtur, &c. Hoc fulcro nixi integra vaticinia ad se trahunt, speciatim *Pf. XXII. Es. LIII.* ubi inter alia arripiunt vocem *ויר* *Vir*, quæ hic totum populum Israël appellari autumant; quod ut evincat, multa loca Scripturæ perperam adducit Abarbenel.

Deinde *ויר* FOVEA textui intrusum, pro quo olim vide-
tur lectum fuisse *ויר*, quod in quibusdam Scriptura locis
corruptionem notat. Ex hac voce, ה ablato, mutatis punctis,
factum *ויר*, quæ vox, etsi concedam eam corruptionis sensum
non plane fastidire, proprie tamen FOVEAM notat, uti Arias
Montanus ubique transfudit. Quo ipso Kimchi motus eam non
ad radicem *ויר* sed *ויר* defert.

Resp. 1. Si ergo *ויר* corruptionis sensum sustinet, quid est quod Judæi factæ corruptionis accusantur? Quid quæso obtinuissent Judæi, si eo modo, quem Reverendissimus Dn. Autor tradit, vocem falsassent? Annon nihilominus servasset sensum corruptionis? An quod vox quædam improprie significat, non vere significat? Vox *ויר*, quam genuinam esse Reverendiss. Autor supponit, utrum corruptionem



an *foveam* notet, disputant inter se interpretes. Judæi certe *Pf. CVII. 20.* & *Tbren. IV. 20.* in sensu *fovea* explicant. Sic Amstelodamensis versio verba מִשְׁחִיתוֹתַם transfert, und war sie thun entrinnen aus ihrer Grube/ *faciebat eos emergere ex sua fovea.* Eodem sensu exponunt Kimchi & Esra. Verba *Tbren. IV. 20.* מִשִּׁיחַ הַלֵּבָבִי בְּשִׁחִיתוֹתַם reddit: Der Gesalbte **GOTTES** ist gefangen in ihrer Gruben. *Unctus DEI captus est in fovea ipsorum.* Didicerunt Translatores eum sensum à R. Salomone & AbenEsra. Kimchi hoc שְׁחִיתָהּ dicit idem esse quod רֶשֶׁת *rete*, & derivat ex eo vocabulum Talmudicum שִׁיתָהּ *rete*, contractum pro שְׁחִיתָהּ. Ac solus Kimchi vocem hanc ad שְׁחָתָהּ *corruptit* refert, cum alii ponant radicem שָׁחָהּ *incurvavit*, unde ad formam שְׁחִיתָהּ formatum שְׁחָתָהּ *fovea, rete.* Quorum sententia si admittitur, ne extat quidem vox שְׁחִיתָהּ *corruptio* in textu Hebræo. Quod si ergo ipsi moderni Judæi voci שְׁחִיתָהּ sensum *fovea*, quem natura habet, habere permittunt, an credibile est illos extrudere eam voluisse ex textu, & pro illa supponere vocem prorsus *συνώνυμον*? Miror certe in voce שְׁחָתָהּ quæri falsationis argumentū, cum sit formationis simplicissimæ & sensus evidentissimi. Formata est ex שְׁחָתָהּ *corruptit* ut כָּרַת excisio ex כָּרַת *excidit.* Ut ex נָעַל נָעַל ex שָׁעַר שָׁעַר ex נָעַר נָעַר ita ex שְׁחָתָהּ *corruptit* ita שְׁחִיתָהּ *corruptio.* Aut an propterea vox *corruptionem* notare non potest, quia in aliis locis scripturæ quocūq; *foveam* signat? Quæ nos cogit necessitas vocem *πολύσημον* ad eandem referre radicem? Annon cum *foveam* notat, aptissime refertur ad שָׁחָהּ *inclinari*? Annon æque commode ex hac themate formatur שְׁחָתָהּ uti ex רָחַת רָחַת ex נָחַת נָחַת præfer-

præsertim cum jam aliæ duæ voces in sensu foveæ ex eo deflectantur שוחה & שוחה? Quid si ipsi Judæi sensum *corruptionis* hic in שוחה agnoscunt? Sane Amstelodamenses transferunt, *du wirst nicht zulassen / daß deine Frommen die Verderbnis sehen.* Quam iniquè ergo illis affricatur corruptionis crimen? *Qui fovea conceptum voci ponunt, absurditatis evidentissime argui possunt.* Ponamus talem versionem: *Non relinques meam animam in sepulchro: imo non dabis Sanctos tuos videre foveam.* Juxta hanc versionem confidunt Sancti Judæi se non visuros foveam. Ergo confidunt se vel plane non morituros, vel, si moriantur, tamen mansuros insepultos. Utrumque quis sine absurditate sperare dicetur?

PSALM. XIX. 4.

Vera lectio Græcorum est: *IN OMNEM TERRAM EXIVIT SONUS EORUM, &c.* Corrupta est textus Hebræi *IN OMNEM TERRAM EXIVIT LINEA IPSORUM, &c.* Probatur, quia 1. Paulus Rom. X. 18. in allegatione sua ita exhibet ὁ φθόγγος ἠὲ τῶν οὐρανῶν, quæ sunt ipsa LXX! Interpretum verba. Quia 2. verba, *exivit linea ipsorum,* probationem Pauli prorsus enervant, quia 3. nullus in iis verbis sensus: Unde apparet manifesto corruptum esse textum & pro שוחה scriptum שוחה.

p. 188.


p. 189.

Miror Viro Cl. absurda videri verba Hebræi textus *exivit linea aut funis mensorius eorum* quorum sensus est venustissimus. An forte inter eos Scripturæ interpretes sese refert, qui hic de cælis naturalibus agi putant? Hi enim haut facile explicare possunt, quomodo cælis competat funis mensorius, quo sensu expanso terra fuerit per sortem attributa quæ non nisi inter plures dividi solet hæredes. Enimvero si mystici cæli supponuntur, Apostoli, quos Paulus manifeste intelligi indicat, venustissima est in verbis Hebræi textus metaphora, ducta à ritu partiendi terras, quæ ope funis mensorio.

mensorio.



menforii fiebat. *Amos. VII. 16. Ps. XVI. 6. Es. XXXIV. 11. 17.*
 Mire illustrant hunc locum verba Pauli *2. Cor. X. 13. 14. 15. 16.*
 quibus se ait gloriari *κατὰ τὸ μέτρον τῆς κανόνος ἃ ἐμέγιστον ἀνίστα*
ὁ θεὸς μέτρα, sumta phrasi evidenter ex Psalmo hoc. Ut ergo in
 versu Psalmi duo sunt commata, alterum, *in omnem terram exitus*
funis eorum, alterum, *et verba eorum in fines terra* ita quoque duo
 ibidem sistuntur conceptus. Scilicet assignatio terræ per funem,
 vocationem Apostolorum ad prædicandum Evangelium: exitus
 verborum in fines terræ, ipsum prædicandi actum significat. Con-
 nexio talis est: *v. 1. Apostoli qui instar cælorum expandent se per*
universum orbem terra, narrabunt magnalia DEI, v. 1. de die in
diem, de nocte in noctem instar fontis semper ebullientis, v. 3. in omni-
bis gentibus, quacunque etiam lingua loquantur, v. 4. quisque in
terris, quæ sibi assignata, Evangelium de CHRISTO predicaturi, in
quorum medio CHRISTUS erit Solis instar, &c. Atque ita evoluto
 vocis tropo planus est sensus. Unde 2. apparet B. Paulum non
 eo consilio Græcos secutum esse, quod verbum originale *קור*
funis eorum nihil faceret ad probationem, sed propterea quod illam
 versionem suo scopo minime videret obesse, ne citra necessitatem
 aliquid culpæ videretur in textu tam per orbem vulgato. Alias
 si Hebræi textus verba voluisset allegare, adhuc clarius probasset
 thema suum quod Judæis Evangelium de CHRISTO esset annun-
 ciatum, siquidem ea non tantum probant prædicationem Apo-
 stolorum per omnes terræ angulos penetrasse, sed etiam autoritate
 divina fuisse susceptam. Ex quo 3. perspicuum est nullam ex
 allegatione græcæ versionis corruptionem Hebræi textus posse con-
 cludi, suspicionemque mutati *קור* in *קום* omnicausa ratione imo
 probabilius esse Græcos corrupto exemplari usos pro *קום* legisse
קור. Si enim locum hunc corruperunt Judæi, quæso quid ipso-
 rum causam illa juxta mutatio? annon idem mansisset sensus?
 annon si vox *קום* obscurior fuisset, altero versus
 commate exceptio verbi non auditi ipsis
 potuisset præcidi?



PSALM. XXII. 17.

Vera lectio est LXX & Vulgata: FODERUNT
 MANUS MEAS ET PEDES MEOS, DINUME-
 RAVERUNT OMNIA OSSA MEA. Corrupta Lectio
 est Hebraea: SICUT LEO MANUS MEAS ET
 PEDES MEOS; NUMERABO OMNIA OSSA MEA. Hunc p.191.med.
 locum cum nimis evidenter de cruce CHRISTI loquatur, Judei
 saepius tentarunt corrumpere, at propter Christianorum vigilan-
 tiam non potuerunt. Primus eum depravavit Aquila, pro ωρυζαν
 foderunt ponens ἡγοσαν pudefecerunt, foedarunt, quae
 lectio plane pessundat sensum prophetiae, longe dissona à lectione
 quam hodie servat Ecclesia.

R. 1. Non est hæc corrupta lectio, sed genuinae
 lectionis absurdissima explicatio. Genuina lectio est
 כָּאֲרִי quæ vox etsi, sicut Leo, significare potest, h. l.
 tamen non significat, quia aperte Masora scribit,
 לִישְׁנֵי קָמָצוֹן כְּתָרִי לִישְׁנֵי בְּ קָמָצוֹן כְּתָרִי לִישְׁנֵי
 sensu. Ut ergo כָּאֲרִי quod Es. XXXVIII. 13. legitur, p.192.med.
 sicut Leo notat, ita hoc sensum fodienti habet, reddend-
 dum fodientes. Est ergo ex כּוֹר quod format parti-
 cipium plurale כּוֹרִים cum א epenthético כְּאֲרִים ut
 רָאָה Zach. XIV. 10. per apocopen אִם כְּאֲרִי ut לכּוֹרֵי
 2. Reg. XI. 4. pro עָמִי וְלִכְרוֹם Ps. CXLIV. 2. pro עָמִים
 Freqventem autem esse enallagen formarum Ain vau
 & Lamed He probant exempla complura קָנָה & קָוָה
 possedit Gen. IV. 1. שׁוֹב & שָׁבָה captivavit Mich. II. 8. כּוֹס
 & בָּמָה altus fuit Es. LIII. 9. בּוֹק & בָּקָה evacuavit Nab.
 II. 10. quibus accensendum est כּוֹר & כּוֹרָה fodit. Nota
 autem Syros & Arabes כּוֹר efferre per Aleph, כְּאֲרִי
 in sensu pudefaciendi, foedandi: quem sensum hic expres-
 sit Aquila: Non ergo corruptam vocem invenit, sed
 A vocem

vocem genuinam minus apte transtulit. 2. Si Christianorum vigilantia obstitit, quominus Judæi primis temporibus depravarent hunc textum, quo ore asseri potest sub finem primi & initium secundi seculi inventam esse depravationem in fontes Hebræos? An qui hujus textus integritatem tam provide defenderunt, tam oscitantes fuisse dicas in tuendis textibus reliquis?

Quia verba hæc, quæ evidentissimum testimonium de CHRISTI cruce continent, sæpius Judæis fuere objecta à primitivæ Ecclesiæ Patribus nominatim Justino, Tertulliano, Cypriano, primis quidem seculis Judæi prudenter manus abstinuerunt ab iis corrupendis, ni sibi tam manifestum falsationis crimen à Christianis jure exprobraretur: Interim sensum Psalmi primo depravarunt, negantes eum de CHRISTO agere, testantibus id Justino & Tertulliano.

Resp. Si Judæi à falsatione textus hujus abstinerunt propter timorem ne sibi depravatio à Christianis Doctoribus exprobraretur, manifestum est integrum textum Hebræum fuisse in Christianorum manibus, quamdiu Judæi talem formidarunt exprobrationem. Non enim potuisset Judæis falsatio textus exprobrari, nisi instituta collatione cum textu genuino. Si integra & genuina textus Hebræi lectio versata fuit Patrum primitivæ Ecclesiæ manibus, nulla unquam potuit à Judæis depravatio in textum invehiri. Nihil enim causæ est quare Christiani diligentiores futuri fuissent in tuendo hoc loco, quam in aliis. Neque enim bonorum Custodum fecissent officium, si uno vel alio loco tantum servato ad plurimorum aliorum corruptionem imprudentes connixissent. Neque quidquam causæ est, quare Judæi præ cæteris ob hujus loci falsa-

falsationem metuerent Christianorum offensam. Annon enim & alia satis evidentiâ loca exstabant de CHRISTI morte & genere mortis? *Es. LIII. 4. seqq. Zach. XII. 10. XIII. 7.* Si ergo Judæi metuerunt, ne si corrumpere Scripturas Hebræas, protinus falsationis arguerentur à gente Christiana, quis ipsos suspectos factæ sub finem primi seculi & initium secundi corruptionis reddere posset, quo tempore Ecclesia habuit Doctores vigilantissimos? 2. Scribit Justinus Martyr jam suo tempore noluisse Judæos Psalmum de CHRISTO intelligere, *Dial. cum Tryph. p. 322. l. 53. καὶ τὸν αὐτὸν τὸν ψάλλον οὐκ εἰς χριστὸν εἰρηόθαι λέγει.* *Negatis Psalmum hunc esse de CHRISTO dictum.* Totum ergo Psalmum ipsis interpretatur & ostendit quomodo non tantum hic versus, sed & reliqui in CHRISTO, non in alio quovquam, impleti. Certum est ex prædicatis iudicium ferri debere de subjecto: at valde metuo ut hoc uno prædicato, quod crucifixionem CHRISTO adscribit, constringi potuerint Judæi. Non dubito quin uti hodie, ita etiam tempore Justini de Synagoga Judaica fuerit expositus Psalmus. Quod si quis contra hanc sententiam ita argumentatus fuisset: *De quo Psalmus agit is clavus ferreus cruci affixus est. Atqui Judæi non sunt crucifixi. E. de Judæis non agit: annon statim fuisset negata minor, cum teste Josepho manifestum sit à Tito multa Judæorum millia in crucem fuisse acta? Enimvero, ut dicam quod res, neque ex LXX virili, neque ex vulgata, neque ulla versione alia recte & sufficienter convinci possunt Judæi de genuino Psalmi hujus subjecto. Solus Hebræus textus argumentum suppeditat evidens de CHRISTO DEI Filio Psalmum loqui.*

Id exhibet v. 26. ubi extat : *Ex te laus mea in cœtu magno, vota mea persolvam coram timentibus DEI.* Conf. v. 25. Hinc tale strui potest argumentum : *Qui ab Israël celebrandus est in magno cœtu, tanquam Sacerdos sacrificans & intercedens, ille nec ipse Israël est, nec David, aut Esther.* Atqui subjectum Psalmi hujus &c. ERGO. Major constat quia in Israël neque religiosus cultus competit, neque sui ipsius celebratio. Minor constat ex textus *συναφεία*. Nam is de quo Psalmus loquitur, cum ante ad DEUM Patrem sermonem direxisset, facta v. 24. apostrophe Israël incipit compellare, ipsumque excitare ad laudem DEI Patris, v. 25. propterea quod gratiose accepisset sacrificium & intercessionem pro populo à se oblatam v. 26. & sui prædicationem in cœtu magno, &c. v. 27. cujus prædicationis fructus in Gentibus pariter ac Judæis usque ad finem explicatur. Hæc est hujus pericopes vera connexio quæ fictis pluribus apostrophis hic non parum turbari solet. Ita autem hoc prædicatum ad nullum Subjectorum, quæ Judæi falso supponete solent, applicari potest, ut ad solum Salvatorem ac Dominum nostrum JESUM CHRISTUM referatur ab Apostolis per omnes N. T. libros, in quibus CHRISTUS *ἡγευχ* *θεῖς ἐν ἔθνεσι* exhibetur.

Deinde circa seculum VIII. post conscriptum Talmud, cum omnis p. 192. med. Hebræi codicis notitia penes solos Judæos esset, facta primum est corruptio, ac ejus indicia primum existere cœperunt in paraphrasi Chaldaica, quæ verba hæc transfert : Mordentes sicut Leones manus meas & pedes meos.

Resp. 1. Si incitia Christianorum, quæ non nisi post Talmud constitutum invaluisse dicitur, occasionem dedit falsandi textus hujus, ante tempora confecti

fecti Talmudis, cum scientia Hebræi codicis æque penes Christianos ac Judæos esset, nihil impuri potuit influere vel in hunc locum, vel in alia Scripturæ Hebrææ loca, cum nihil sit causæ quare hujus loci fide-
 liores fuisse custodes dicantur, quam cæterorum. Non ergo statim post Apostolorum tempora corruptelæ in textum Hebræum illatæ sunt. 2. Chaldæus verba transfert כרתין הוּך כחריא *mordentes sicut Leo*. Legit ergo כרתין in textu scriptum. Sed quia etiam in margine annotatum invenit כרתין' utramque lectionem videtur voluisse conjungere, vertens illud, *sicut Leo, hoc, mordentes*. Neque vero hæc versio fossionis conceptum plane exterminat, siquidem *mordere est morsu suffodere*. Et vero dedita opera videtur usus voce כרתין *mordentes*, ne fossionis sensum plane excluderet, cum alias potuisset ponere כרתין *frangentes*, siquidem notum Leones in Scripturis non *mordere*, sed *frangere dentibus*, dici, *Psal. VII. 3. Es. XXXVIII. 13. Dan. VI. 25. 1. Reg. XIII. 26*. Notabilis & Amstælodamensium Jud. versio germanica est: Sie haben meine Hände und Füsse so zugericht / gleich als hätte sie der Löw unter gehabt. Hi conjungunt etiam כרתין *sicut Leo*, & כרתין atque hoc quidem tam in significatione fœdandi dum vertunt, sie haben so zugericht / quam in sensu fodiendi, dum addunt, gleich als hätte sie der Löw unter gehabt. Prævalet autem Leo feræ cum dentibus tum ungvibus. Utrumque instrumentum præacutum & ad fodiendum accommodatum. Ex quo intelligi potest sensum Judæos corrupisse quidem, at non textum. Retinuerunt enim כרתין quæ genuina lectio est, sed vocem illam odio crucis CHRISTI aliter verterunt, quam par erat.

Corruptela autem paulatim introducta fuit hoc modo: *Judei*
p. 192. fin. post Hieronymi tempora, videntes sibi hac vaticinio de CHRISTO
p. 193. pr. quammaxime incommodari, primum voci כרו inseruerunt כרו
 quod contra regulam est, cum כרו fodit non admittat כרו.
 Deinde ו converterunt in ו quod facillime fieri potuit. Hæc
 ita certo consilio fabricata vox modo margini adscripta, modo
 textui inscripta fuit, prouti testatur & Masora & plurimorum
 antiquorum Manuscriptorum inspectio. Post nonnulla secula
 immissa fuit exemplaribus. Denique sub initium seculi hujus
 postremi omnes impressi Hebraei codices hac perversa lectione sunt
 conspurcati. Ita paulatim Judei depravarunt hanc tam claram
 de cruce CHRISTI prophetiam, intrusa voce, quæ non nisi rudi-
 culum sensum versui infert.

Resp. Meræ hæc sunt conjecturæ, nulla nitentes
 probabilitate, quamdiu voci כרו quam genuinam
 esse probavimus, sua non evertitur forma & signifi-
 catio. CARU nunquam fuit scriptum: proinde nec
 potuit depravari. Radix vocis textualis est כרו quam
 formam epenthesein טא aleph admittere probant exem-
 pla כרו pro כרו Ezech. XXVIII. 24. כרו pro כרו
 Hof. X. 14. Mutatio ו in ו frustra asseritur, exstan-
 tibus passim pluralibus acocopatis. Aut an in his ir-
 regularibus pluralis numeri formis etiam suspicanda
 falsatio est? Quid inde lucri Judæis, si illas truncassent?
 Masora ad Num. XXIV. 9. fatetur in loco controverso
 scriptum כרו, lectum כרו. Si hic quidquam mutas-
 sent Judæi, an probabile est ipsos suam hanc falsatio-
 nem ita aperte prodituros fuisse? Si in plurimis anti-
 quissimis Manuscriptis כרו ad marginem ponitur,
 in textu ipso aut כרו legitur, aut כרו: utrumcunq;
 legatur, corruptio Judæis affricari nulla potest, cum
 exhi-

exhibeant vocem quæ græcam vocem ἄρξαν *foderunt* apte exprimit. Si Revedendissimus Dn. Autor codicem inspexit, in quo vox כרו exstat scripta, multum certe causæ suæ profuisset, si de eo plenius nos informasset. Negamus enim unquam vocem כרו in textu exstitisse. Si sunt manuscripti codices, qui in margine habent כרו in textu autem כרו, quæ quæso specie illi in falsationis suspicionem trahi possunt, cum exhibeant in margine vocem vocis textualis obscurioris interpretativam? Quod enim כרו *foderunt* notare possit, indubium. Quicumque ergo ab hoc vero significato discesserunt, sensum textus corruperunt, non textum ipsum. Esto hodie in omnibus impressis codicibus exstare in textu כרו obscuritatem quidem illa habet, non autem corruptelam. Judæi quorum auspiciis plerumque Hebræa Biblia imprimuntur, non nudum nobis textum in quo כרו est exhibent, sed stipatum memorabili Mosoretharum nota, quæ hoc כרו kameztatum esse & sensu diversum ab aliis Scripturæ כרו docet; quæ per כרו explicat. An cuiquam verisimile fieri potest Judæos corrupisse textum, qui cum talibus notis, quæ corruptionem factam statim arguissent, eum imprimunt & Christianis vendunt? 2. Quid obsecro, si Judæi animum falsandi textus habuissent, opus fuisset tam scrupulosa circuitione, quam tradit Cl. Autor? Annon breviora via corruptionem induxissent, si pro כרו præposito כ mutato כ in ס scripserunt כרו constrinxerunt? Certe hoc pacto facillime crucifixionis conceptum ex textu eliminassent. Sensus enim foret: *Constrinxerunt manus meas & pedes meos.* Aut plus adhuc lucrati fuissent, si tantum כ inseruissent, ut

ut pro כרו exstaret כרו *praciderunt, amputarunt, h. f. praciderunt manus meas & pedes meos.* Certe hoc pacto non tantummodo crucis sensum è textu ejecissent, sed & totum Psalmum quam facillime ad spurium subjectum detorsissent h. m. *De quo textus agit, ei manus & pedes pracidendi: JESU Nazareno manus & pedes non erant pracidendi E. de eo Psalmus non agit. Minor ex Job. XIX. 32. 33-36. probari potuisset. Cum itaq; alia commodiora verba potuissent substituere, quis suspicari posset ipsos voluisse nobis obtrudere כנארי quæ vox, neglecta nota Masorethica, vere ridiculum sensum, ut ipse ait Cl. Autor, in textum infert, Judæosq; vehementer excarnificat. Quis crederet Judæos sese substituta voce inexplicabili ultro propinatuos fuisse Christianorum derisui? Apparet ex his omnibus Judæos invenisse vocem כנארי in textu scriptam, ejusq; genuinum sensum corrupisse, ne crucifixionis sensum admittere necesse haberent.*

p. 191. fin. *Neque hoc tantum corruperunt comma, sed & sequens, in quo pro DINUMERARUNT OMNIA OSSA MEA, scripserunt, NUMERABO OMNIA OSSA MEA.*

Resp. Quæ ratione probabitur Græcam lectionem hic genuinam esse, Hebræam spuriam? Judæi & hic corruptionis accusantur. Afferatur imputatæ falsationis ratio. Quæ vel probabilis ratio afferri potest, Judæos hic falsationem attentasse? An odium crucis CHRISTI eos ad hanc quoq; falsationem sollicitavit? Quid quæso in sensu mutatur, sive legam, *numerabo omnia ossa mea, sive legam, dinumerarunt omnia ossa mea?* Amstælodamenses transtulerunt *alle meine Bebeine wil ich zehlen können.* Lutherus: *Jch möchte alle meine Bebeine*

Gebeine zehlen. Coloniensis Paraphraſtes: Also wurd
mein Leichnam an dem Creutz ausgeſtrecket breit und
lang/ daß man alle meine Gebeine zehlen möchte. Annon
quæcunqve etiam detur verſio, ea præſupponit in textu
nudationem & extenſionem corporis? Enimvero ægre
hæc verba habent Judæos, cum tam aperte nudationem
& extenſionem corporis inferant, ignorantes quomodo
illa de gente ſua commode explicent. At enimvero
dum ſenſum illis ſpurium imponere allaborant, prioris
vocis מִסְפָּרִים ſignificatum numerandi relinqvunt intactum,
poſtერიem autem vocem, עצמותי offa mea, varie tra-
hant, modo cicatrices reddentes: *recenſebo omnes cica-
trices membrorum meorum*, modo improprie accipientes
pro viris fortibus, *Numerarem omnes milites meos*. Conf.
Chald. AbenEſr. Quo ore dici poſſunt Judæi verbi for-
mam depravaſſe, qui ſenſum illi relinqvunt integrum?

*Genuinam lectionem eſſe כָּרוּ probat autoritas R. Jacob Ben
Chajim, qui ſcribit: In quibusdam correctis inveni ſcriptum
CARU, & ad marginem notatum CAARI. Patet ergo Judæos p. 192. med.
genuinum CARU corruptiſſe. Atque hanc corruptam lectionem fin.
tam tenaciter ſervant Judæi, ut Bombergo CARU in Bibliis ſuis p. 193. præ-
ponere volenti, venetus quidam Rabbi denunciaverit, ſi id face-
ret, ſe procuraturum apud ſuos ne ullum exemplar iſtius editionis
emeretur, uti teſtatur Sixtinus ab Amama in Antibarb. p. 725.*

Reſp. Verba R. Jacob Ben Chajim integra hæc
ſunt כְּמִסְפָּרִים סְפָרִים מְדוּקָּיִם מִצְאָתִי כְּתוּב כָּאֲרוּ וְקָרוּ
כְּאֲרוּ אֲמַנָּם מִצְאָתִי בְּאִינוֹן מִלֵּן דְּכְתוּב וְ בְּסוֹף וְקָרוּ וְ
וְלֹא מִצְאָתִי נִמְנָה כְּחִשְׁבֹּנָם וְגַם כְּחִילוֹף הַמְקָרָא דִּישׁ
בֵּין מְדַנְחָאִי וְמַעְרְבָאִי וְלֹא נִמְנָה שֵׁם *In quibusdam libris
correctioribus ſcriptum inveni CAARU, lectum in margine
CAARI. Enimvero quaſivi an vox CAARI relata eſſet in illo-*

rum verborum numerum quæ scribuntur per γ leguntur per γ
 At nec ibi inveni. Contuli denique diversas lectiones Orienta-
 lium & Occidentalium. At nec inter eos inveni. Probare
 vult Cl. Autor C A R U genuinum esse, eo quod illud
 se in correctioribus exemplaribus legisse fatetur addu-
 ctus Rabbi. At ille aperte testatur se invenisse CAARU,
 non CARU. Non ergo CARU est genuinum. Deinde
 negat Rabbi se usquam invenisse annotatam in voce
 C A A R I Masoræ censuram. Proinde semper ea pro
 genuina est agnita. Frustra ergo allegatur Rabbinus
 autoritas ad probandam vocis CAARI $\gamma\alpha\alpha\gamma$, quem
 an credibile est corruptionis indicium daturum fuisse,
 si hic quidquam falsassent Judæi? Quod Rabbi alle-
 gatus exemplaria, in quibus CAARU reperit, pro
 correctioribus habet, non rei veritas, sed ignoratio
 formæ vocis CAARI effecit. Maxima contra Judæo-
 rum pars illos codices pro correctioribus habuit, qui
 servant CAARI: pro qua voce Anama Bombergum
 CAARU substituere voluisse refert, non CARU, prouti
 inspectio loci citati testatur. Quod nolint Judæi
 CAARU pro CAARI imprimi, non cæcæ cujusdam
 pertinaciæ argumentum est aut odii in Christianos,
 sed amoris servandæ genuinæ lectionis à Majoribus
 acceptæ. Sane vox CAARI ita ipsos exercet, ut li-
 quido juraverim, eos quamvis aliam, quam hanc, in
 textu extare malle.

- p. 193. m. *Esto authentiam competere codici Hebræo, non refragor:*
 fin. *Nolim tamen ipsi authentiam adscribere in iis locis ubi manifeste*
dustruit lectionem Ecclesie ab Apostolis traditam. Sic in eodem
 p. 194. pr. *hoc Psalmo v. 2. vera lectio Ecclesiastica est: LONGE A SA-*
LUTE MEA VERBA DELICTORUM MEORUM: Spuria
& cor.

Et corrupta est Hebraei codicis : LONGINQVUS A SALUTE MEA, VERBIS RUGITUS MEI. Illa solatii est plenissima, siquidem CHRISTUM exhibet portantem peccata nostra : Hec cum primitus haberet DIBRI SCHEGAGATHI verba delictorum meorum, dudum corrupta est in DIBRI SCHAAGATHI verba rugitus mei. En tibi vera lectionis paraphrasin : Pondus peccatorum meorum, i. e. quibus ego oneratus sum, quaeque in corpore meo porto super ligno crucis, longe me removet à salute et liberatione mea.

Resp. 1. Quæ Apostoli in N. T. ex Græca versione allegarunt, ea facili negotio conciliari possunt cum textu Hebræo, ejusque sæpe explicationem continent, ceu constat ex Ps. VIII. 2. Ps. XIX. 4. Inter quæ autem nulla est contrarietas, sed amica concordia, eorum alteri non affingenda est alterius destructio. 2. Cl. Autor Græcæ & Vulgatæ versioni adscribit authentiam, quam demit Hebræo codici. Atqui compertum est duas has versiones in multis ita diffidere ut conciliari non possint. Necessè erit ergo alterutram esse corruptam. Utram ergo dicet corruptam? Si Græcam: Mirum quæ audacia Vulgatam præferre Græcæ possit, cum hæc antiquissimorum Patrum habeat suffragia, illa suam authentiam nonnisi Tridentionorum præcipitantiæ debeat. Si vulgatam: Quare ergo illa non corrigitur ad mentem Græcæ? e. g. Gen. III. 15. Vulgata legit: Ipsa conteret tibi caput: Græca, αὐτὴν σφραγήσει κεφαλὴν. Quare ergo toleratur IPSA in textu Vulgato? quare non tollitur scandalosus Idololatriæ fomes? 3. Quod lectionem versus 2. Psalmi attinet, alia ea est in Græco, alia in Hebræo. Hebræam damnat vitii Autor Reverendissimus. Græcam genuinam

inam esse ait. At enimvero græca habet manifestum corruptionis indicium. Legit ea: μακρὰν ἀπὸ τῆς σωτηρίας μὲς οἱ λόγοι τῶν παραπτώματων μὲς. *Longe à salute mea verba delictorum meorum.* Quæ quæso hic est cohærentia prædicati cum subjecto? Subjectum est: *Verba delictorum meorum*, i. e. delicta, quibus ego oneror, quæ porto in cruce; ut exponit Cl. Autor. Eadem & Theodoreti explicatio est, pia sane & orthodoxa. Sed quid sibi vult prædicatum, *Procul sunt à salute mea?* Procul esse à salute, est, non ferre auxilium, ut patet ex v. 13. & 20. hujus Psalmi. Annon insulse dicitur: *Delicta mea non ferunt mihi auxilium?* Cl. Dn. Autor ita explicat: *Delicta mea me elongant à salute mea.* Alii alias afferunt versus hujus expositiones: Nicephori Glossa est: *Reatus peccatorum meorum nullo impedimento sunt saluti meæ, quia nulla sunt omnino delicta mea, quæ commiserim.* Theodoreti: *Ne respicias humana lapsus, sed propter cruciatus meos illi salutem largiaris.* Didymi: *Hæc delictorum verba CHRISTI corpus portavit, antequam pateretur. Ubi vero à mortuis resurrexit, quando & salvus factus esse dicitur, longe ab ejus salute prædictorum delictorum verba facta sunt. Nam Principes & potestates delictorum auctrices ejecit, quando nobis libertatem comparans de iis triumphum duxit.* Coloniensis: *Die Sünde meiner Auserwehlten ist so groß/ daß ich dafür sterben muß/ soll sie vergeben werden.* Piæ hæc quidem sunt interpretationes, sed non fluunt ex textu, neque ullus interpretum horum ostendit quomodo prædicatum competat subjecto suo, præter Didymum, cujus glossa genuinum verborum sensum satis exprimit, etsi ab argumento textus aliena est. Pia p. 194. m. sane sunt Cl. Autoris verba: *Ce verset marque clairement,*
qde

que le Pere Eternel n' a point voulu delivrer son Fils des souffrances de sa Passion & de sa Croix, parce qu' etant chargé de nos crimes il les devoit expier par sa mort. Ce sens veritable & consolant pour les hommes pecheurs, &c. i. e. Versus hic clare indicat Patrem aeternum nequaquam voluisse Filium suum absolvere à necessitate mortis super cruce patienda, siquidem postquam oneratus erat nostris peccatis, ea quoque per mortem expiare fas erat. Hic sensus verus est & ad consolandos homines peccatores accommodatissimus. Omnino verus in se sensus est, at quomodo ille ex verbis extorqveri potest? Certe inter hanc propositionem: *procul sunt delicta mea à salute mea*, & has: *delicta mea me elongant à salute mea*: me non absolunt ab obligatione moriendi, nullam video æquipoilentiam. Quod si pie & orthodoxe asserit Cl. Autor nostra peccata fieri CHRISTI peccata, si hæc doctrina quam aptissima est ad consolandos peccatores quid est quod tantum tribuatur satisfactionibus propriis, quod doctrina de imputata CHRISTI justitia tanta vi impugnetur? 4. In Hebræo textu ellipsis observanda est præfixi מִן quod ad רִחוּק מִיְשׁוּעָתִי subintelligi debet, מִרְחוּק מִיְשׁוּעָתִי *longinquus es à salute mea, à verbis rugitus mei*. Evidentissimus est hujus propositionis sensus. Idem solatii plenissimus. Non enim ob sua, sed ob nostra peccata se derelinqui, se à salute removeri queritur Salvator. Conf. Es. LIII. 4. seqq. Ergo implicite se peccatis nostris oneratum esse asserit. Neglectus hujus ellipseos plures falsas peperit versiones, Aquilæ verterentis: *οἱ λόγοι βρυχήματος μου*: Symmachi reddentis: *οἱ λόγοι τῶν ὀδυρμῶν μου*; Hieronymi transferrentis: *Longe à salute mea verba rugitus mei*: quorum verborum durior est Eusebii glossa: *Verba luctuum meorum, qui pro populo*

circumferuntur, procul à salute mea fuerunt cum populi nullam à salute, quam illis obtuli utilitatem perceperint. 5. Ait Cl. p. 194. m. Autor : *Necesse est olim in textu originali exstitisse DIBHRI SCHEGAGATHI verba erratorum meorum.* Parum cauta hæc est conjectura. Nimis enim aperte vitium in textum originale invehit. Nam *Schegagab* error in statu suffixo juxta regulam Gr. non facit *Schegagathi*, sed *schiggathi*, quæ forma existat *Lev. V. 18. Num. XV. 25.* Imo cum in originali textu exstaret *יִנְיָשׁ* *rupitus mei*, Græci mutatis punctis & transpositis literis legerunt *יִנְיָשׁ* *erratorum meorum*. Atque ita veram lectionem Græci corruerunt : non Hebræi.

PSALM. XL. 7.

Vera lectio est Græcorum, cui & Chrysostomus, Theodoretus, Psalterium Romanum, Africana & Italica Ecclesia suffragantur : *HOSSTIAM ET OBLATIONEM NOLUISTI COR-* p. 195. med. *PUS VERO APTASTI MIHI.* Falsa & spuria textus Hebræi : *SACRIFICIUM ET OBLATIONEM NOLUISTI, AURES AUTEM PERFORASTI MIHI.* Paulus probaturus *JESU* tanquam vera victima exhibito cessare sacrificia typica, ad Hebræos scribens, verba hæc ita attulit ut leguntur in Græca versione, *Hebr. X. 5.* Quod indicio est ita quoque fuisse lecta in Hebræo. Resp. 1. Quod S. Paulus verba hæc ex textu Græco adduxit, non eo fecit, quod in textu Hebræo eodem modo legerentur, sed quod Hebræi inter Gentes exulantes lectioni Græcæ versionis assuefacti dudum erant, quod p. 201. med. ipse Cl. Autor subinde docet. Ab hoc tam vulgato inter Judæos textu discedere noluit, quamdiu non invenit lectionem Hebræo textui authentico contradicentem. Hic vero textus Hebræo non contradicit, sed amice ipsi subordinatur. David sacrificiis typicis oppo-

opponit obœdientiam CHRISTI, vi cuius illa abrogata. Hinc ita loquentem introducit: *Sacrificia non vis: At mihi aures perforasti*, hoc est juxta Kimchium פתחת לקולך ששמע לזונום וְ אָפֵרָה אֵלַי אָזְנוֹתַי לְעֹשֵׂי תְּוָתְךָ אָזְנוֹתַי לְעֹשֵׂי תְּוָתְךָ אָזְנוֹתַי לְעֹשֵׂי תְּוָתְךָ *aperu isti mihi aures ad obœdiendum voci tue; juxta R. Salomonein לו עשותם לו עשותם לו עשותם* *auris perforasti mihi, i. e. aures excavatas fecisti mihi ad obœdiendum.* Hæc CHRISTI obœdientia usque ad mortem crucis progredi debebat, *Pbil. II. 8.* Quia autem DEI Filius mortem hanc non nisi in aptato sibi corpore pati poterat, hinc græca versio assumpti corporis mentionem hic admodum apposite facit ad significandum, qva sui parte DEI Filius obœdiens Patri ad mortem usque esset futurus. Quia ergo Hebræo textui non contradicit, sed eum explicat, visum est Apostolo verba græca non mutata adducere, præsertim cum obœdientia CHRISTI versu proxime sequente plenius describeretur.

Bona quidem etiam & utilis est Vulgata lectio: AURES p. 195. fin. AUTEM PERFECISTI MIHI, siquidem approbata ab Ecclesia p. 196. pr. divinam habet auctoritatem, testimonio quoque gaudet antiquissimorum Patrum, Origenis, Augustini, Eusebii, &c. At quod Judæi pro PERFECISTI substituerunt PERFORASTI, ea palpabilis corruptio est, non nisi in Salvatoris ignominiam excogitata: ut ostenderent CHRISTUM vile esse mancipium, & Apostoli argumentum pro abrogatione sacrificiorum enervarent.

R. 1. Cum vulgata pro CORPUS, quod Apostoli & Græcorum est, habet AURES, aut vitiosa ea est lectio, aut non est. Si vitiosa est, quare eam Tridentini divina donarunt auctoritate? Si non est vitiosa, quo ore eadem in Hebræo textu culpatur? Aut si hæc vox genuina est, quare eam immutarunt Græci?
2. Quid

2. Quid quæso notat *perficere aures*? Ce marqve, inqvis, fa parfaite obeiffance: *significat perfectam ejus obœdientiam.* At eundem sensum quoq; Judæi phrasi ponunt. Adduxi jam Salomonis & Kimchii testimonium. Audi & Amstælodamensium glossam *bu hast mir die Ohren durchgraben add. um zu hören.* Kimchi: *לא שאלה ממני עלה ומנחה אלה לעשות רצונך & munus, sed ut perficiam voluntatem tuam.* Si hic Judæi quidquam corrupuissent ad derivandam ignominiam in personam Sanctissimi Salvatoris, annon eadem opera personam Davidis contaminassent, de quo Psalmum hunc interpretantur? Annon & illum vile mancipium dicerent, si hic phrasi parum honestus foret sensus? Censet Reverendiss. Dn. Autor, phrasi servilem conditionem denotari, qualis erat servorum perforatorum, *Exod. XXI. 6.* Sunt etiam ex nostris quibus placet hæc allusio. Sed vero etsi Salvator servi habitum sumisit, *Phil. II. 7.* tamen nulla est ejus cum servo perforato collatio. Servus perforatus, servus erat & manebat tam ante, quam post perforationem auris. At CHRISTUS antequam sumeret servi schema non erat servus, neqve manebat servus *לעלם in æternum*, sed deposita servi forma domini usum sumisit gloriosissimi. Ex his causis allusio hæc recte rejicitur. Quod si in phrasi allusio esset ad hunc servi ritum, ad minimum aliquis ex Judæis indicasset. Sed Rabbinii de hac allusione nullam faciunt mentionem, qui præterea annotant perforationem servis in poenam obtigisse, *מה ראה ארון לרצע מכל האיברים שכגוף אמו רב יוחון בן זכאי און ששמעה על הר סיני לא תגנוב וגנב תרצע ואם מוכר עצמו און ששמעה על הר סיני סי לי בנו ישראל עכרים*

עכרים והלך וקנה ארון לעצמו חרצע *Quare auris pre reliquis
membris perforatur? Ait R. Juchanan Saccades, Auris ejus qv̄i
in Sinai audiit: Non furaberis: & tamen furatur, perforanda est.
Scilicet propterea quod insuper habitis verbis: Filii Israēl erunt
servi mihi; ubi & sibi ipsi prater Jehovah Dominum comparat.
Hæc sunt R. Salomonis verba quæ confer cum glossa
Bechai in h.l. Ex quo apparet Judæos, qui Psalmū de Da-
vide interpretantur, phrasin hanc minime ex ritu illo
Mosaico explicare posse; ne dicam quod ibi una auris
nempe dextra, ut volunt, perforari jubeatur, hic אָזְנִים
duæ aures memorentur: ibi usurpetur חרצע / hic כרה. Per-
fossæ aures, sunt cavæ aures, aptæ ac pronæ ad auscul-
tandum, oppositæ auribus obturatis, Ps. LVIII. 5. 6. præ-
putiatis Act. VII. 51. induratis Es. VI. 10. quæ homini vitio
congenitæ malitiæ competunt. Ratione aurium exca-
vatarum opponitur Salvator omnibus hominibus, na-
turali inobœdientia laborantibus, sua obœdientia omni-
bus meriturus justitiam. Rom. V. 19. Quod si ergo Judæi
phrasi sensum obsequii relinqvunt integrum, quomodo
in ipsos suspicio cadere potest factæ ad enervandum
Apostoli argumentum falsationis? Assertio Pauli est:
Sacrificia cessant. Rationem dat, quia CHRISTUS
venit & sua obœdientia tam activa, quam passiva Legi
pro nobis satisfecit. Hoc probat ex Psalmo ubi CHRI-
STUS introducit loquens: Sacrificia non vis: inte-
rim aures perforatas dedisti mihi ad obœdiendum Tibi
usque ad mortem crucis. Illatio ergo Paulina glossa
Rabbinica non evertitur, sed stabilitur.*

*Vera ergo & originalis lectio videtur fuisse GEVIAH BARA- p. 196. m.
THA LI, i. e. CORPUS FORMASTI MIHI.*

Resp. Durior, si dicendum quod res est, est hæc con-
jectura

C

jectura

jectura & nimis longe petita. Quid enim **אָזְנוֹיִם** similitudinis habet cum **אָזְנוֹיִם**? Suggestam aliam speciosiorē. Notum est in Hebræo textu etiam græca quædam vocabula inveniri. Sic occurrit **פִּסְנֵתָרִין / קִיתָרִים / סִוּמַפְנִיָּה** *Dan. III. 5. מְכֻרֹתֵיהֶם Gen. XLIX. 5.* quod Raschi existimat esse *μαχαίρας*. Quid si dicam olim in textu extitisse Græcum **אָזְנוֹיִם** *σῶμα δὲ*? Omnino videtur olim lectum fuisse **כְּלוֹתֵי** *אָזְנוֹיִם* quod est ipsum Græcum *σῶμα δὲ κατηρησάμοι* translato **ו** in sensu adversativo: *Corpus autem perfecisti mihi*. Cum hanc Græcam vocem, sibi tam adversam, invenirent Judæi in Hebræo textu, quid fecerunt perfidi nebulones? Viderunt vocem illam quam aptissimā esse ad formandam ex ea vocem Hebræam: *Vau* primum aggressi sunt, illudque inferiore sui parte truncarunt; ut ita Jod remaneret: detractam particulam agglutinarunt *vau* alterius pedi: Inde factum *Nun*. His actis transpositis literis formarunt Hebræam vocem **אָזְנוֹיִם** *aves*. In altero verbo **כְּלוֹתֵי** solam mutare literam **ל** necesse habuerunt, ex qua, ablato capito emerfit **ר**. Hinc subjectis punctis Masoreticis legerunt **אָזְנוֹיִם כְּרוֹתֵי לִי** *aves perfodisti mihi*. Hoc artificio simul quam felicissime omnem corruptionis suspicionem à se removerunt, & eam in Græcos interpretes transtulerunt, cum non sit verisimile græcam vocem *σῶμα* in textu fuisse Hebræo. An probabis hanc conjecturam Vir Clarissime? Certe si non commodior æque tamen apta est ac Tua. Retinet enim easdem literas, nihilque aliud in tota propositione immutat, quam tres literulas, idque leviter. Attuli autem hanc conjecturam propterea ut ostenderem quam facile conjecturæ per alias longe speciosiores conjecturas possint everti. Non est nobis dubiis conjecturis

Eturis militandum in controversia tam ponderosa, & salutis æternæ fundamentum concernente.

PSALM. XCVI. 10.

Vera lectio Græcorum est: DICITE IN GENTIBUS: *QVIA* DOMINUS REGNAVIT A LIGNO. Falsatextus Hebræi: DICITE IN GENTIBUS, *QVIA* DOMINUS REGNAVIT. p. 197. 198. illa habet suffragium Barnabæ, Justini Martyris, Ecclesiarum Africarum, Tertulliani, Augustini, S. Leonis, Gregorii Magni, Cassiodori, qui eam citarunt ex versione antiquissima Italica, Psalterii Romani, Theodulphi, Venantii Fortunati, cujus hymnus adhuc decantatur in Ecclesia:

Impleta sunt quæ concinit
David fideli carmine,
Dicens, in nationibus,
REGNAVIT A LIGNO DEUS.

Fuit deniq; ea lectio perpetuo usu frequentata ab Ecclesia Romana usq; ad Pontificatum Pii V. qui lectionem Psalmorum ex Vulgata introduxit. Apertum ergo est, hoc tam manifestum de CHRISTI cruce testimonium Judæos malitiose truncasse, quod & Justinus Martyr diserte testatur.

Resp. 1. Afferit Autor Reverendissimus genuinam p. 202. m. & divinitus inspiratam lectionem esse ὁ κύριος ἐβασίλευσεν ἀπὸ ξύλου. Hujus genuinæ lectionis nubem Testium adducit, integras Ecclesias, Patres doctissimos & vigilantissimos, aitq; usu fere perpetuo in Ecclesiis Romanis frequentatam fuisse usque ad tempora Pii V. Pontificis Romani. Ego vero fateor me capere non posse, quo fato corrumpi potuerit vera & genuina lectio, protestantibus tot Ecclesiis Ecclesiarumq; Episcopis. An tam dementes fuere, ut sibi imponi paterentur à Judæis? An Græci codices & vera eorum lectio à Judæis petenda erant?

erant? Quod si persuasi fuere hi Ecclesiarum Antistites veram esse lectionem, quæ habet ἀπὸ ξύλων, an satis pie pati potuerunt, ut exemplaria Græca omisis his duabus voculis describerentur? Quo ore excusabunt oscitantiam suam coram Deo & Ecclesia, quod scientes volentesq; corruptelam invehî in Scripturam passi sunt, cujus custodia ipsis tam serio erat demandata? Quis credat Judæos Christianis, fraudis suæ minime ignaris, obtrudere potuisse truncatam lectionem, loci tam clare de CHRISTI cruce testantis? Sed nihil magis miror quam quo pacto ipse infallibilis Papa animum inducere potuerit tot Ecclesiis falsam & corruptam lectionem obtrudere. Hoc vero facinus animadvertendum.

2. Res apparet verba hæc ἀπὸ ξύλων non fuisse partem textus, sed glossam vel in margine positam, vel intra textum parenthesi inclusam. Cum Justinus Martyr in Dial. cum Tryph. pag. m. 232. Judæos castratæ Scripturæ incusat, Ipsorum Judæorum descriptos Græcos Codices intelligit, non Christianorum. Quomodo enim Judæi potuissent castrare exemplaria quæ à Christianis describebantur? quæ in Episcoporum versabantur manibus? Et quomodo Justinus indicare falsationem potuisset, nisi ipse instructus fuisset exemplari intemerato? Scribit S. Pater: *abstulerunt à verbis Davidis βραχέας λέξεις pauculas voces*: An ex eo statim inferri potest, Ergo voces istæ pertinuerunt ad textum? annon & notulæ à textu auferri possunt? Esto Patres hæc verba habuisse pro particula ipsius textus, annon illorū errori opponi debet maturius judicium modernarum per totum terrarum orbem Ecclesiarum, quæ hæc verba ἀπὸ τῶν ξύλων unanimi consensu exulare ex suis Bibliis jubent? Deniq;

non

non hic quæstio est de perfectione Græcorum Codicum, sed de integritate textus Hebræi.

Scio Justinum agere de Græca versione. At enim vero dum Judæi truncharunt versionem, necesse est eos quoque castrasse textum originalem. Alioquin quam facillime convicti falsationis fuissent, p. 201. fin. si ea verba reliquissent in Codice Hebræo.

Resp. Infert Clarissim⁹ auctor: Judæi exemerunt verba quæstionis ex textu Græco: Ergo exemerunt eadem ex textu Hebræo. Annon prius probandum erat verba illa primitus fuisse in textu Originali? Negamus in eo unquam extitisse. Affirmanti contrarium adducendæ sunt rationes solidæ & evidentes, quas hætenus non legimus. Nam Patrum quorundam & Ecclesiarum testimonia nihil probant aliud, quam quod verba illa lecta fuerint olim in versione Græca. Qui ita infert: Quidquid exstat in versione Græca, illud quoque exstare debet in Hebræo codice, alias non est genuinus: ille τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνει: nam adscribit Græcæ versioni αὐθεντικῆν, quæ hætenus à nobis oppugnatur. Ne dicam quod verba illa hodie in Græcis codicibus non exstent, nec ulla ratione certa probari possit, ea, si olim in Græcis extiterent, pertinuisse ad textum & non potius fuisse glossam. Audiamus Lyram: *Augustinus inquit, & Cassiodorus hic addunt, dicentes quod Dominus regnavit à ligno. Sed hæc additio, A LIGNO, non est in Hebræo nec in Græco, nec in translatione Hieronymi, loquendo de translationibus ejus, quas vidit. Et credo quod assumptum sit de translatione Theodotionis vel Symmachi vel alicujus alterius &c.* Genebrardus ait ea motu Sp.S. ab Interpretibus LXX. textui fuisse interjecta: vide verba ipsius adducta in Antibarbaro Sixt. ab Amama p. 837. Negant uterque unquam in Hebræo fuisse scripta.



Neque verba ex epistola Barnabæ à Reverendissimo Autore ad-
 ducta quidquam probant : Sunt enim dissona à verbis Psalmi. Verba
 Psalmi sunt: ὁ Κύριος ἐβασίλευσεν ἀπὸ ξύλων: Verba Barnabæ ἡ
 βασιλεία Ἰησοῦ ἐπὶ τῷ ξύλῳ Regnum JESU est in ligno. Regnat
 CHRISTUS in ligno dum per mortem crucis vincit hostes nostros:
 Regnat post lignum dum victoriam in cruce partam nobis per Evan-
 gelium applicat. Loquuntur ergo verba Psalmi de applicatione, ver-
 ba Barnabæ de acquisitione victoriæ. Hæc non erant confundenda,
 quod facit qui in Barnabæ epistolam notas scripsit, cujus verba addu-
 cit Cl. Autor: Porro quando dicitur Regnum JESU esse de ligno, videtur
 Barnabas respexisse locum Psalmi XCVI. 10. quem solenniter laudant Justi-
 nus Martyr, Tertullianus, aliq, ex vetustissimis Patribus. Forte etiam
 D. Paulus Col. II. 15. illic oculum intendit. Hic Autor verba Barnabæ,
 in ligno, manifeste convertit in, de ligno, studio ostendendi inter verba
 Psalmi & Barnabæ parallelismi. Ad verba Pauli προσηλώσας
 χειρόγραφον τῷ σαυρῶ, Col. II. 15. & 1. Petr. II. 24. τὰς ἀμαρτίας
 ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον, respexisse
 Barnabam consentaneum est, siquidem affigere peccata cruci actus
 dominantis & vincentis est; non autem ad verba Psalmi, cum ea non
 parum discrepent. Nam regnare à ligno est regnare post mortem
 crucis. Ita intelligit S. Tertullianus adversus Marcionem Cap.
 XIX. Age nunc si legisti penes David, Dominus regnavit à ligno,
 expecto quid intelligas, nisi forte lignarium aliquem Regem significari
 Judæorum & non CHRISTUM, qui exinde à passione ligni superata morte
 regnavit. Conferri quoque potest locutio Paulina, quæ CHRISTUS
 dicitur διὰ παθημάτων τελειωθείς Hebr., II. 10. Hoc ordine voluit
 DEUS Filium suum coronari, ut prius pateretur. Talem ordinem
 respiciens Lyra à ligno exponit per passionem crucis: Gudanus per
 lignum crucis: Colonienſis: Christus hat requirret / das ist / Christus
 durch syn Döt / Ufferstendents und Himmelfahrt hat von synen Vater
 empfangen Gewalt zu urtheilen und regiren all Creaturen. In eundem
 modum interpretatur Reverendiss. Autor: L' Eglise a toujours crûe
 toujours publie par tout le monde que l' Empire de JESUS CHRIST ne s'
 est établi que par la croix: elle a toujours chante dans l' assemblée des Fi-
 delles que c' est par ce bois sacré qu' il a regné sur les Nations. Sensus
 pius

PSALM. XCVI. 10.

pius est & orthodoxus, qui etiam, ubi non legitur, A LIGNO, locum
habet, cum regnum CHRISTI non detur nisi per ordinem crucis,
Actor. 11. 36. 111. 15. IV. 11. V. 30. XIII. 27. 29. 30. 47. Luc. XXIV. 26. 33.
Quæ itaq; remanet suspicandæ corruptionis causa? Profitetur Eccle-
sia extare in Psalmis, quod CHRISTUS regnavit per mortem crucis.
Extat sane, at hoc loco non extat quoad verba, sed quoad sensum. *p. 197. pr.*
Sensus hic primo fuit annotatus in margine, *εἰπὸ τῆ ξύλῃ*; deinde in
ipsum contextum tractus, iudice Fullero apud Glassium *Phil. p. 100.*
Avide autem arripuisse Christianos, ad convincendos adversarios,
quidquid crucis CHRISTI confirmandæ speciem habebat, non mi-
rum, cum *λόγος σαυρῆ* Judæis pariter ac Christianis tantam vide-
retur habere absurditatem *1. Cor. I. 23. 18.*

Ita truncatum à Judæis textum Origenes primo exhibuit in Hexaplis.
Cujus tanti Viri autoritati obsecundans Hieronymus eadem verba truncata p. 202. pr.
inseruit vulgata: ut adeo nisi quædam superfuissent exemplaria Græca
Latinaq; versionis, facile ex omnibus Bibliis vera perisset lectio, quæ talis
primo in Hebræo fuit: ADONAI MALACH MEHETS: DOMI-
NUS REGNAVIT A LIGNO, à qua Judæi sustulerunt voculam
MEETZ sub finem primi seculi aut initium secundi.

Resp. I. Aut vera loci lectio est quam adhuc exhibent Græca &
Hebræa exemplaria, aut concedendum est Ecclesiam Catholicam &
ipsum Romanum Papam ab Hieronymo & Origene multo turpius
fuisse dementatos, atq; Origenes à Judæis fuerat, cum probabilius sit
minusq; turpitudinis habeat, unum decipi à multis, quam innume-
rabilem Christianorum cœtum ab uno alterove Doctore. Utrum ho-
rum nobis concedet Cl. Autor? Si posterius, annon periclitabitur Ec-
clesiæ inerrabilitas? annon Papæ prosterneretur infallibilitas? annon
& Papa & totus Episcoporum chorus jure accusandi supinæ oscitantæ,
quod ab Origene & Hieronymo imponi sibi passi sunt, cum in mani-
bus haberent Græcos Latinosq; codices veram & genuinam lectionem
adhuc servantes? Itane omnes in utramvis aurem otiose dormierunt,
ut paterentur in valescere in Ecclesia lectionem, quam pravam agno-
scebant esse, quamq; facili negotio suppressere poterant? 2. Lectio
quam Reverendiss. Autor pro genuina nobis conatur obtrudere bar-
bara est & aliena ab indole Hebrææ linguæ. Si enim *קד* inferi debet,
tanquam

tanquam essentialis textus vox, aut afficiet vocem יהוה aut מלך. Si illud, אלהו מקרוב מעץ eodem modo explicandum erit quo אלהו מרמק DEUS è propinquo DEUS è longinquo. Ut DEUS è longinquo, est DEUS remotus, ita DEUS à ligno est DEUS lignarius, quem sensum tanquam ineptum rejicit Tertullianus. Si cum מלך construitur, quis quæso Hebræorum intelliget quid sit *alignavit a ligno*? Notat עץ arborem, fructum ferentem; lignum ex quo arca, mensa &c. conficitur; cruce[m], ex quo malefici suspenduntur. Hæc diversa significatio determinatur per adjecta verba, *edere è ligno* Gen. II. 17. *fabricare ex ligno* Ex. XXV. 10. *suspendi è ligno* Gen. XL. 19. *aufferri ex ligno* Jos. VIII. 29. At quid est *regnare à ligno*? Dura certe phrasis in auribus Hebræi. Quid enim significabit? an *regnare super ata morte*? Legendum fuisset יהוה מלך ממותו בעץ *Jehova regnavit postquam mortuus in ligno*. Pono ellipticam esse locutionem, undenam obsecro capi poterit ellipseos hujus indicium ex Psalmo? Fit & v. 12. hujus Psalmi lignorum mentio: *Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum*, quod quidam interpres, notante Vicarsio in Decaplis, proprie exposuit hac addita ratione, *quia ex ipsis erat salutare lignum*. Satis inepte! Ad hanc absouam interpretationem abripuit ipsum præjudicium de ligno crucis, de quo agi in falso præmissa propositione supposuit. עצי היער *arborea sylva* notant homines steriles, fidei bonorumq[ue] operum expertes, ex quibus bonæ & frugiferæ arbores per Evangelii doctrinam erant formandæ. Ponamus legi propositionem, de qua disquirimus, עץ in significato hoc improprio erit exponendum h. s. *Regnavit DEUS præ arboribus sylvestrib[us]*. Scilicet antehac gentes prædominatæ erant veræ Ecclesiæ, veræq[ue] doctrinæ. Tempore CHRISTI & Apostolorum prædominatura erat vera doctrina Gentilium Idololatriæ. Hoc comparativo sensu exponi posse probat collatio aliorum locorum Gen. XXV. 23. 1. Sam. X. 23. 1. Sam. XII. 30. Altera expositio omni destituitur Scripturæ exemplo. Cum itaq[ue] 3 ex hoc appareat propositione quam Cl. Autor pro genuina venditat, quædamq[ue] de Regno CHRISTI per crucem vaticinari asserit, barbaram esse & Hebrææ linguæ genio adversari, nunquam nobis dicet tam commode, ut credamus eam aut in Hebræo textu existisse, aut Originem, qui Hebrææ literaturæ callentissimus erat, deceptum a Judæis verba hæc truncata in Hexaplis exhibuisse.

PSALM. CX. 3.

V Era lectio juxta LXX. & Vulgatam est: **TECUM PRINCIPIMUM IN DIE VIRTUTIS TUÆ IN SPLENDORIBUS SANCTORUM: EX UTERO ANTE LUCIFERUM GENUI TE.** Corrupta lectio juxta textum Hebraum est: **POPULUS TUUS DEVOTIONUM IN DIE FORTITUDINIS TUÆ IN DECORIBUS SANCTITATIS AB UTERO AURORÆ: TIBI ROS NATIVITATIS TUÆ.** Inter hos duos textus manifesta est discrepantia tum ratione verborum, tum ratione sensus. In Græco evidens divinitatis **CHRISTI** argumentum est. Hoc Judæi, cum viderent adversus se urgeri, elisuri, corruerunt textum Hebraum. Paraphrasis Græci textus hæc est: Regni tui fama late didetur in die potentia tua, cum gloriose eris involutus Sanctorum splendore: Tu enim es filius quem ego genui de propria mea substantia ante auroram & ante omne tempus. p.202.fin. p.203.med

Resp. I. Fateor evidentem hic esse textuum difformitatem. Alterutrum ergo corruptum esse oportet. In Hebræum nulla cadit corruptelæ suspicio. Quid enim obsecro juviffet Judæos, si hic quidquam mutassent? Certe argumentum divinitatis **CHRISTI** è Psalmo minime sustulissent. Si enim ponam in hoc versu testimonium Deitatis **CHRISTI** esse, non tamen tam est illustre, quam quod exstat in versu primo: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis,* ad quod ne mutire quidem audebant Judæorum Majores *Matth. XXII.42. seq.* Annon si ipsis animus unquam fuisset corrumperendi textus Hebræi, plus egissent, si hæc verba falsassent? Nec tam firmum & robustum est, quod non facillimo negotio elidere possent. Nam pono genuina verba textus esse: *ex utero ante auroram genui*

A

te,



te, in quonam vis probandæ Deitatis Messiaë consistet? Utrum in eo quod dicitur *ex utero genui te*? Quid hoc est? an *ex substantia mea genui te*? Vah quam impertinenter Patri uterus adscribitur! quam alienum à stylo Scripturæ uterum notare essentiam! An in eo quod dicitur *ante auroram genui te*? An enim hoc idem esse potest, quod *ante principium*, *ante tunc*, *ante dies seculi*, *ante caelum & terram*, quibus alias in sacris æternitas circumscribi solet? Judæus certe minime hoc sibi persuaderi patietur, cui עִמָּךְ si uspiam in Hebræo codice occurreret, vel *ante auroram notaret*, vel *ex aurora*. Neutro sensu acceptum æternitatem inferre poterit. Aurora enim principium diei solaris est. Pono Luciferum notare posse, non tamen sufficeret ad inferendam Deitatem, siquidem ante Luciferum, qui quarto die conditus, cum reliquis stellis plures jam creaturæ erant productæ. Si ergo, arte Luciferum esse, est æternum esse, ea quæ primo secundo ac tertio die sunt producta, æterna essent dicenda. Cum ergo huic argumento nihil insit ponderis, quid lucri ex loci falsatione cepissent Judæi? Quæ causa Judæis fuisset pro עִמָּךְ *tecum principium* scribendi עִמָּךְ נִרְכִּיתָ *populus tuus spontancitates*, si prior lectio esset genuina? Si regnum CHRISTI describitur, in utranam lectione significantior est regni delineatio? Annon ille qui populum spontaneum habet, principatum habet? Annon palpabilior est principatus sensus in lectione posteriore, quam est in priore? Quid quæso sibi volunt verba: *Tecum principium*? Pono *Principium* significare *regnum*, sensus erit, *apud te erit regnum in die virtutis tue*, non quem dat Cl. Autor: *regnum tuum celebrabi-*

lebrabitur in die quo exseres potentia tuam. Sic enim non
 יָצַדְךָ tecum scribi debuisset, sed מֵעִמָּךְ à Tecum i. e. regnum
 quod tecum est, quod tu possides prodibit à te, pari modo quo
 dicitur Ps. XXII. 26. מִתְּחִלָּתִי תְהִלָּתִי à tecum laus mea, i. e.
 laus mea, quæ tecum est per fidem, prodibit à te per confessio-
 nem & prædicationem. Fateor non incommodum hunc
 esse sensum, neque à præcedente versu dissonum.
 Sed quæ quæso affinitas inter ἀρχὴν principium seu prin-
 cipatum, & Hebræum נְרוּתָהּ quod adhuc legitur? Hoc
 enim ex נְרוּתָהּ est, notatque ingenuitatem.

Græca vox ἀρχὴ communiter principatum notat, nec He-
 bræa נְרוּתָהּ aliena est ab hoc significato, etsi primario notet sin-
 gularem. p. 203. ms.

Resp. 1. נְרוּתָהּ ex נְרוּתָהּ est, nec notat singularem, sed
 ut est pl. fœm. g. ita notat spontaneitates, liberalitates, in-
 genuitates, Principis adjunctum. Si censes metonymiam
 adjuncti pro subjecto in voce esse, reddendum erat:
 Tecum Principes, non, Tecum Principatus. Quæ versione
 admittitur, data paraphrasis non invenit locum. At
 præterea dari ratio debebat, quare Græci deserto pro-
 prio sensu, alienum secuti fuerint. Nisi sufficiens ejus
 rei ratio est, non fecerunt bonorum Interpretum offi-
 cium. Fingamus hic mutationem esse factam, quæ-
 ramus voces quasdam pares literarum forma & nu-
 mero, pro quarum una spuria vox נְרוּתָהּ fuerit sub-
 stituta, ponamus vel ראשית principium vel מלכות, aut
 denique ממשלה regnum. Optionem dabimus Viro Cl.
 alterutrum eligendi. Si priorem eligit, an unquam
 ראשית regnum aut principatum notare legit? an unquam
 in eo sensu alibi transtulerunt Græci? Si postero-
 rem, quæ obsecro causa est quod Græci Hebræa verba



maluerint transferre *μετά σε ἢ ἀρχή*, quam *μετά σε ἢ βασιλεία*, cum hæc versio planum habeat sensum, illa obscuritatem in textum importet, quæ bono interpreti studiose vitanda? Denique 3. spuriam esse lectionem Græcam, non Hebræam, vel inde patet, quod *συνάφειαν* textus turbat. David cum v. 1. de Messia in persona tertia locutus esset, mox v. 2. facta ad ipsum apostrophe dicit: *DEUS ex Sion emittet robur sceptri sui, ut domineris in medio hostium v. 3. ac populus tuus te expeditionem in hostes suscipientem spontaneo motu sequetur &c.* Hunc genuinum nexum indecore turbat Græca versio. Nam v. 2. David introducitur Messiam alloquens v. 3. eundem alloquens introducitur Jehova Pater. Post v. 3. iterum David Jehovam loqui introducitur.

p. 203. fin. *Hebræa lectionis hic inexplicabilis est obscuritas, quam & interpretationum diversitas confirmat.*

Resp. Si ab obscuritate & interpretationum difformitate inferenda corruptio & falsatio est, potiori jure ea Græcæ versionis tribui poterit, quam Hebræo textui affricari. Quid obscurius, quid insulsius Græca versione in locis quamplurimis? Quid non super sensu ipsius litigant interpretes? Cl. Autor tres adduxit diversas versus controversi translationes: *Populus tuus devotus aut spontaneus: Populus tuus sponte veniet in die &c. Populi tui oblationes voluntaria in die &c.* Ego vero non video has versiones, quod sensum vocis *נרבות* attinet, dissentire, Conceptum spontaneitatis omnes illi ponunt. Facile ergo & in reliquis conciliabiles. Contra Pontificii Interpretes circa sensum vocis *ἀρχή* maxime hic dissentiunt: Ipse Cl. Autor notionem regni ipsi ponit: *Votre regne eclatera au jour de votre*

vôtre puissance i. e. Regnum Tuum celebratissimum erit in die potentia tua. Lyra DEUM principium rerum activum intelligit: Principium dicitur hic ipse Pater, quod dicitur Job. 1. 1. In principio erit verbum i. e. in Patre filius, in quantum est unus cum eo in natura, & distinctus in persona. Præterea quoque dissensus est, quænam persona hæc verba eloquatur. Cl. Dn. Autor Jehovæ Patri ea tribuit. Lyra Davidi, qui idem verba *Ex utero aurora &c.* in Persona Patris dici asserit. Goudanus Messia: *Tecum sum principium unum & idem, quia eadem est dominandi potestas & principandi autoritas, & hoc apparebit in die virtutis & claritate divinitatis tue &c.* Colonienses Ecclesiæ: Der Anfang ist mit dir in dem Tag deiner Kräfte in Klarheit der Heiligen / das ist: Hernachmahl werden wir dich schauen / daß du bist wahr GOTT und alle Ding Ursprung mit GOTT dem Vater / denn GOTT der Vater zu dir spricht 2c. Forte sunt & qui principium passivum innui putant. Quod si ergo interpretum dissensus corruptionem textus infert, quomodo à corruptelis liberari poterit Versio LXX. Interpretum? Obscuritatem loci non parvam esse fateor, at eandem prorsus tolli non posse nego. Notandum est 1. versum hunc duas continere propositiones. Majorem distinctionem esse in מִשְׁחָרַיִם non in מִשְׁחָרַיִם. Hic enim athnach est, ibi merca Mahpachatus, quorum ille minorem, hic majorem distinctionem in metricis facit. Mala ergo est interstinctio adductæ à Cl. Dn. Autore versionis Hebræi textus *Populus tuus devotionum in die fortitudinis Tue in decoribus sanctitatis ab utero ab aurora: tibi ros natiuitatis Tue.* Certe si ita legeretur, ipse exclamarem cum Cl. Autore *O Dieu quel embarras*
43
& quelle

& quelle obscurité! 2. חיל commode hic verti posse *aciem*
 aut *bellum*, quem sensum ipsi LXX. in voce admittunt
Neb. VI. 14. 2. Paral. XXVI. 12. 3. עמר נדבורא eandem
 esse constructionem qualis est *Pf. V. 10.* קרכם חורא
intimum eorum est pravitates, i. e. *pravisimum*, abstracto
 emphatice posito pro concreto. Erit g. reddendum
Populus tuus summe erit spontaneus tempore belli tui, nempe
 quo Tu ope Apostolicæ prædicationis bellum inferes
 regno Satanæ. Atque hoc prius comma: Alterum
 distincte exhibet Subjectum & prædicatum. Illud im-
 mediate est post *filluk*, מל ילרותך, *tibi ros generationis*
tuae sc. activæ. Intelliguntur Apostoli donis ad rege-
 nerandas gentes instructi. *Mich. V. 6.* Post Athnach
 duo inveniuntur prædicata, alterum מרחם משהו
ex utero aurora subaudi כטל est sicut ros ex utero aurora de-
stillans. Nota *Mischchar aurora* hic legendum esse, non
Mischbachar ab aurora uti legit Cl. Dn. Autor: alte-
 rum est בהררי קדש. Hic cum Autore liceat nobis sub-
 audire, *environne, circumfusus splendore sancto.* Ut adeo con-
 cisior oratio ita evolvi possit: *Populus tuus motu plane*
spontaneo tibi subserviet | quo tempore aciem adversus Satane
regnum instrues ||| decore sanctitatis circumfusus | instar rosis
ex utero aurora destillantibus || erit tibi ros, quo gentes rege-
neras. |||| Quid jam superest in textu confusionis?
quid obscuritatis?

PSALM. CX. 4.

Genuina lectio est: TU ES SACERDOS IN ÆTER-
 NUM SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH.
 p. 205. Falsa & corrupta est: TU SACERDOS IN SECVLUM
 SECUNDUM VERBUM MEUM, MELCHISEDECH.
 Illa LXX. Interpretum est & Vulgata, approbata ab Apostolo
 Hebr.

Hebr. VII. 17. 21. Hac Judæorum est. Corruerunt Judæi, textum hunc quia Paulus nimis aperte ex eo demonstrabat sacerdotium Aaronicum jam cessare. Hinc pro AL DIBHRATH MALKIZEDEK, SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECI scripserunt AL DIBHRATI, MALKIZEDEK: SECUNDUM VERBUM MEUM, MELCHISEDECH apposito p. 105. fin. voci Jod, & imposito ipsi Rebbia accentu distinctivo. Hoc παρὰ 107. pr. sensum verborum prorsus destruxerunt.

Resp. 1. Dist. inter corruptionem verborum & corruptionem veri sensus. Hanc admittimus, illam negamus. Ariæ Montani versio est: *Tu Sacerdos in seculum: super verbum meum Melchizedech.* Talem Montani versionem exhibet Waltonus, quæ discrepat parumper ab ea quam exhibet reverendiss. Autor. Ponamus eam veram & naturalem esse verborum Hebræorum sententiam quam ipsis dat Arias, nihil tamen quidquam ea juverit Judæorum causam. Neque enim destruit hæc sententia vim argumenti Paulini. Assertio Pauli est: Cessat Sacerdotium Aaronicum & cum illo totus cultus Levitibus: ratio, quia exhibitus est Messias, Sacerdos non κατὰ τάξιν i. e. ὁμοίτητα Hebr. VII. 3. 15. Aaronis, Sacerdotis temporarii; sed Melchisedeci, Sacerdotis æterni. Manet hæc ratio firma etiam si supponatur versio Montani: *Tu Melchisedech Sacerdos es in æternum secundum verbum meum.* Nam quis vocatur Melchisedech? annon Messias? quare vocatur Melchisedech? annon eo quod est Melchisedeci antitypus? Si autem Messias est Sacerdos non Aaronis sed Melchisedeci ἀντίτυπος, erit κατὰ τάξιν καὶ ὁμοίτητα Melchisedeci, æternumque sacerdotium habebit non temporarium. Hoc ergo exhibito cessat Sacerdotium Aaroni-

Aaronicum. Sed 2. negamus Montanum recte verba vertisse, & præferimus ipsi LXX. Interpretum translationem, qui Jod in דברתי paragogenicum esse & non suffixum optime noverunt. Neque enim insveta in Scripturis hæc paragoge est, quam & perpetuo fere observant LXX. Gen. XXXI. 39. וַיִּנְכַּח יוֹד / quod transtulerunt Græci κλέμματα ἡμέρας Es. I. 21. מִלִּנְחֵי מִשְׁפַּט Græci, πλῆρης κρίσεως Tbreñ. I. 1. וַיִּנְכַּח יוֹד Græci πλεθυσμένη λαῶν confer plura exempla Ps. CXIII. 5. 6. 7. 9. Sic Jod paragogenicum bis reperitur, Gen XLIX. 11. וַיִּנְכַּח יוֹד וְלִשְׁרָרָה בְּנֵי אֶתְנֹו Græci Jod tanquam superfluum non expresserunt Δεσμεύων πρὸς ἀμπέλον τὸν πῶλον αὐτῆς, καὶ τῆ ἑλικί τὸν πῶλον τῆ ὄγυ αὐτῆς. Contra Vulgatus Jod in בני inepte pro suffixo habuit: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam.* Ut ergo LXX. in allatis exemplis paragogen literæ Jod agnoverunt, ita eandem quoque in voce דברתי agnovisse censendi sunt, neque lectio Hebræa statim in suspicionem corruptelæ rapienda est, præcipue cum 3. ipsimet Judæi hic paragogen literæ Jod agnoscant. Ita Kimchi disertè: וַיִּנְכַּח יוֹד דְּבַרְתִּי וַיִּנְכַּח יוֹד מַלְכֵי נִסְפָּרָה Jod in dibbrati, item Jod in Malki paragogenicum est. R. Abenefra: וַיִּנְכַּח יוֹד דְּבַרְתִּי נִסְפָּרָה וַיִּפְרוּשׁ עַל דְּבַרְתִּי עַל דְּבַרְתִּי בִּים אִו חֲזַסר אִוֶּרַת כֶּף אִתְּוֶה אִכְהָן לְעַלְם עַל דְּבַרְתִּי כִּמוֹ עַל דְּבַר שְׂאִתְּוֶה כִּמְלִכֵי צַדִּיק Jod in Dibbrati paragogenicum est, notatque, secundum consuetudinem. Affinis ei est significatio vocis דְּבַרְתִּי rates I. Reg. V. 9. Aut deficit litera כ sicut: Tu es sacerdos in æternum al dibbrat, i. e. eo quod tu es sicut Melchisedech. Vides ipsos Judæos allegationem Apostoli suo suffragio confirmare: quæ ergo spe Majores ipsorum hic quidquam corrupisse dicentur?

Frustra

prompta fuerunt. Adducit porro Autor Reverendissimus quædam ex aliis Scripturæ V. T. partibus, quæ quia semel cum ipso in campum descendimus, pari brevitæ expendere operæ præcium erit.

JEREM. XI. 19.

Textus genuinus Vulgatæ.

Textus Corruptus Hebræus.

Et ego TANQVAM AGNUS
MANSVETUS qui portatur ad
victinam: Et non cognovi quia
cogitaverunt super me consilia di-
centes: MITTAMUS LIGNUM
IN PANEM EJUS & eradamus
eum de terra viventium.

Et ego eram TANQVAM AGNUS
ET TANQVAM BOS qui du-
citur adjugulandum, & non cognovi
quod contra me cogitaverunt cogi-
tationes: CORRUMPAMUS VE-
NENO CIBUM EJUS & exci-
damus eum & terra viventium.

Lectio Vulgatæ eadem est LXX. Interpretum. Cum itaq;
p. 214. fin. hic textus manifestum crucis CHRISTI testimonium gerat,
p. 215. m. Judæorum malignitate fuit corruptus, quos secuti Christiani te-
xtum corruptum alii aliter vertunt: Pagnini versio est quæ
exhibuimus: Montanus transtulit: CORRUMPAMUS LI-
GNUM IN PANE EJUS: Alii, CORRUMPAMUS ARBO-
REM CUM FRUCTU EJUS: Tremellius, PERDAMUS
CULMUM CUM GRANO EJUS: Leo Juda: CORRUM-
PAMUS LIGNUM IN CIBUM EJUS. Hæc & alia Hebræa
lectionis interpretamenta satis innuunt textum esse corruptum.

Resp. 1. Quæ obsecro consequentia est: Hebræus
textus absurde explicatur; Ergo est corruptus? An-
non & LXX. viralis & Vulgatæ textus pessime explica-
tus semper fuit ab Hæreticis, Ergone & ipse propterea
dicetur corruptus? EUM Britannus Messiam sese esse
intendebat, de quo Ecclesia in Exorcismis jamdudum
testaretur: Per EUM qui venturus est judicare vivos & mor-
tuos. Ergone corrupta esse dicentur verba hæc, quod
male explicabantur ab infano Mago? Perpetuo conclu-
dit

dit Cl. Autor à detorsione sensus ad corruptionem textus, quæ illatio prorsus illegitima est. 2. Nego omnes illas allatas expositiones esse falsas & absurdas. Probamus eam quæ est B. Lutheri nostri, cujus nomen dedita opera reticuit Autor Clarissimus: *Corrumpamus arborem cum fructu ejus.* Videtur Propheta desumpsisse hanc suam locutionem ex *Deut. XX. 19. 20. Si oppugnaveris urbem, noli perdere arbores ejus aut securim ipsis immittere: possunt enim tibi cibum suppeditare &c. At sterilem arborem, quæ cibum non exhibet, licite succidito &c.* Antiqui hæc verba allegorice de homine interpretati sunt teste *Beob. inh. l.* דרשו ר"ל כי מטנו תאכל אם ראת תלמוד חכם הצון ממנו תאכל ואתו לא תכרות ואם לא אתו תשחית וכרות
Verba: quoniam ex ea comedere potes: ita allegorice interpretantur Doctores nostri: Si videris discipulum Sapientis pium ac bonæ frugis, ex eo comedito, neq. ipsum excindito. At si videris eum malis moratum esse moribus, perditto ipsum & excindito. Ac usitatisimum est in Scripturis hominem bonum regnitum ac utilem bonam arborem, malum contra & irregnitum malam arborem vocari *Matth. VII. 16. 17. 18. 19.* Hoc monitum non observantes Anathotæi consilia inierunt de tollendo Jeremia DEI Propheta, dicentes: *perdamus arborem cum cibo suo.* Hanc tam planam & evidentem Hebraici textus expositionem approbant ipsi Judæi versione sua Amstælod. Germanica, quam integram hic apponimus: Und ich war als ein Lamm als ein Ochs der geführet ward um zuschlachten: Den ich wuste nicht daß sie gedachten gegen mir vielerley Gedauken / um zusagen: Lasset mir den Baum mit seine Früchte verderben / und lassen mir ihn aus das Land der Lebendigen verschneiden / daß seines Namens nicht mehr gedacht



dacht werde. 3. Nego \forall crucis sensum hic sustinere posse. Exesse eum jubet connexio; Propheta ita inferebat adversus populum suum: Quibus DEUS denunciat iram, illi ex olea viridi & frugifera malæ & steriles arbores factæ sunt. Atqui vobis, &c. Ergo. Anathotæi nolentes agnoscere suam apostasiam, conabantur evertere Prophetæ Majorem, statuentes, si quid illis mali accideret, id non statim esse habendum pro pœna à DEO irato illata, neque adeo ex eo argui posse suam apostasiam: Hoc exemplo occisi Prophetæ demonstrare fatagebant: Propheta occiditur: Propheta est arbor bona & frugifera, Ergo quædam arbor bona occiditur. Deinde exesse eum jubet subjectum textus: Verum & genuinum textus subjectum Jeremias est, non CHRISTUS, id quod nulla indiget probatione.

p. 214. pr.
med.

Hieronymus ait: Omnium Ecclesiarum iste est consensus, ut sub persona Hieremia à CHRISTO hæc dici intelligant: quod Pater ostenderit studia Judeorum; & dixerint: Mittam lignum in panem ejus: crucem videlicet in corpus Salvatoris, Vid. in h. l. Ita explicuere Tertullianus, Justinus, Cyprianus, Lactantius, Eusebius Casariensis, Ambrosius, Chrysostomus Theodoretus, & alii complures, qui omnes asserunt agi hic de cruce CHRISTI, prorsus ut hæc explicatio instar Ecclesiastica traditionis se habeat, cui non temere est contradicendum.

Resp. Dist. inter fidei articulos, & inter sensum hujus vel illius dicti biblici. Venerabilis Patrum autoritas maximi facienda est in confirmandis fidei Articulis: At in explicatione dicti cujusdam biblici fas est à Patribus discedere, cum prægnans discendendi causa est. Ratio est, quia Patrum ætas iis interpretandi administriculis non fuit instructa, quibus hodierna gaudent secula.

cula. Hunc locum adductos Patres inconvenienter explicasse, & jam ex parte monstratum est, & porro ostendetur plenius. Facile autem ipsos excusare poterit nimium inveniendæ in scriptis V. T. crucis studium. Et nos æquus rerum æstimator facile temeritatis absol-
verit, quod in interpretando hoc dicto Patrum deserimus autoritatem. Neque enim Hebræa, neque Græca verba crucis sensum lectori exhibent. Non Hebræa, quod paulo ante ostensum. Non Græca, quæ hæc sunt ἐμβάλωμεν ξύλον εἰς τὸν ἄρτον αὐτοῦ, hoc recte vertitur: *Mittamus lignum in panem ejus*. Sed quis horum verborum est sensus? Justinus, Tertullianus, Hieronymus de sensu rogati respondent: *Mittamus crucem in corpus Salvatoris*. Si hic verus sensus est, juraverim Græcos interpretes ipsos hanc suam versionem hoc sensu non intellexisse. Enimvero ipsa hæc versio nova indiget expositione. Quid enim est mittere crucem in corpus CHRISTI? an crucifigere? Imo hunc sensum in eo p. 214. fin.
ponunt Patres. Ipse Autor Cl. ita exponit: *Les Juifs, inquit, voyant, qu'ils ne pouvoient l'expliquer de ce Prophete, qui n'a point esté mis en croix, ils ont tâché de le corrompre. Judæi videntes quod textum non possent explicare de Jeremia, cum ipse nequaquam sit misus in crucem, conati sunt illum corrumperre.* Juxta hæc verba: *Mittere crucem in corpus*, per hypallagen est, *mittere corpus in crucem*. Agnoscunt ergo hic 1. in tota oratione hypallagen. 2. In voce *lignum* metonymiam, ponitur enim lignum pro cruce, materia pro re ex materia facta. 3. In voce *panis* metaphoram: Ut panis cibatur corpus, ita caro CHRISTI animam. Primo ergo Græca verba ita per hypallagen vertenda: *Mittamus panem ejus in lignum*. Deinde remoto

tropo : *Mittamus corpus ejus in crucem.* DEUM immortalem quantæ hæ ambages ! Quis vel Gentilium, vel Judæorum ex his verbis de crucifixione CHRISTI se convinci patietur ? Græcos Interpretes, quos certus sum crucem hic minime intellexisse, puto agnovisse synthesin in Hebræa voce נשחיתה *perdamus lignum in panem ejus, i. e. perdamus eum, mittentes lignum in panem ejus.* Eadem est adhuc Chaldæi interpretatio נרמי סמא *mittamus venenum mortis in cibum ejus.* Quin ipse Lyrurus Vulgatæ verba hoc sensu interpretatur : *Est, inquit, in terra illa arbor nomine taxus, venenata, & inde dicitur Toxicum, i. e. venenum : & Toxicum, Toxicas, i. e. venenare, a mutato in o : Et de ligno illius arboris minutim inciso volebant ponere in cibo Jeremia : qui cibus nomine panis intelligitur, ut sic moreretur & amplius eos non argueret.* Discimus autem exemplo Lyræ, Doctoris Pontificii, sine temeritate ab explicatione Patrum discendi posse. Amplectuntur eundem sensum R. D. Kimchi & R. Salomo, qui vocem נשחיתה *corrumpamus* per נשימה *ponamus* interpretantur addita ratione כי התשומה הזאת *quia impositio hæc erat perditio.* Quamnam vocem in hac propositione corruerint Hebræi, nō memorat nobis Cl. Autor : quod si suspicatur eos pro נשחיתה *ponamus*, scripsisse נשימה *corrumpamus*, facile ipsos hujus corruptionis absolvet data eorum explicatio, quæ ne minimum quidem verbulum mutat in translatione LXX virali. Falso ergo corruptionis factæ accusantur.

p. 214. fin. *Judæi verba hæc de Jeremia interpretantur. At Hieronymus ipsos refutat ita scribens in l. c. Jer. Judei & nostri Judaizantes hæc ex persona Jeremie dici intelligunt. Sed nescio quomodo possint approbare crucifixum esse Jeremiam, cum hoc Scriptura non memoret.* Resp.

Resp. Ipse sibi Hieronymus contrarius est. Supra dixerat, *sub persona Jeremia à CHRISTO hac dici.* Latet ergo CHRISTUS sub Jeremia tanquam typo. In quonam ergo Jeremias tanquam typus CHRISTUM præfiguravit? An in sustinenda cruce? Hic sua Hieronymo verba oppono: *Nescio quomodo possit probare crucifixum esse Jeremiam.* De solo Jeremia non de Salvatore hic agi probamus, quia Scriptura nusquam indicat Jeremiam hic gerere typum CHRISTI. Non autem nobis sunt temere fingendi typi absque Spiritus S. indicio. Nihil juvat dissentientem, quod CHRISTUS *LIII. 6. Es.* æque ut hic Jeremias, dicitur agnus ad mactationem ductus. Hoc enim prædicatum omnes pii cum CHRISTO habent commune, *Ps. XLIV. 23. Rom. VIII. 36. ελογιάθημεν ως πρόβαλα σφαγῆς.* Argumentum Hieronymi valde vacillat: De quo agit textus, ille est crucifixus. Atqui Jeremias non est crucifixus Ergo de eo non agit. Major bis peccat, 1. supponit locum de crucifixione agere. Contrarium ostendimus paulo ante: 2. posito crucifixionis sensum phrasi inesse, non tamen ager de crucifixione facta, sed cogitata & conclusa. Unde ita concipienda fuisset Major: De quo textus agit, ille crucifigendus erat. Atqui Jeremias non erat crucifigendus. E. Ita concessa Majore, neganda foret Minor. Nihil sane opus est præsidium doctrinæ de crucifixione CHRISTI ex hoc loco exsculpere velle, cum illa sat testimoniorum inveniatur alibi.

Nilominus vehementer Judæis semper incommodavit hic p. 215. fin. locus, ita prorsus ut eum plane resciderint è vaticiniis Jeremia. 216. Id quod S. Justinus Tryphoni, Dial. p. 298. aperte objicit. An alio consilio hoc fecerunt, quam ut obtinerent contra Christianos, verba hac non exstare in Scriptura. ?

Resp.

Resp. Verba Justini Martyris p. m. 232. sunt: *Ex Jeremia vaticiniis hæc reciderunt: Ego quasi agnus qui ad immolandum ducitur, super me cogitaverunt cogitationem, dicentes, venite, mittamus lignum in pacem ejus, & exteramus eum de terra viventium. Hæc periscope, quæ resecta est ex Jeremia sermonibus, adhuc in quibusdam exemplaribus, quæ in Synagogis Judæorum asservantur scripta reperitur.* Hic 1. Judæi dicuntur integrum hunc versum de sermonibus Jeremiæ rescidisse. Eundem versum integrum & incorruptum nobis exhibent in Hebræis Bibliis. Ergo nonnisi à Græcis exemplaribus resciderunt. Quid hoc ad rem? Non de Græci textus sed Hebræi codicis falsatione & corruptione quæritur. 2. Dicuntur remansisse hæc verba integra in Exemplaribus quæ in Synagogis asservantur. Ergo non publica sed privata quorundam auctoritate fuere recissa, ab exemplaribus quæ in privatorum versabantur manibus. Horum unum atque alterum aspexerat S. Justinus. Quia ergo 3. verba hæc integra fuere conservata, tum in Hebræis Bibliis, tum in publicis Synagogarum exemplaribus Græcis, minime inferri potest resectionem illam eo consilio fuisse à Judæis institutam ut contra Christianos obtinerent, ea plane non legi in S. literis. Si hoc intendissent quare ea non deleverunt ex Hebræo codice, ad quem ultimo provocandum erat tanquam ad scriptum sine controversia *ἰερωτευσον*? Unde 4. verisimile est factam illam privata quorundam opera resectionem, ad deludendos Christianos, ut officium disputandi cum Christianis ex loco, cujus sensum detorqueri certi erant, compendio quodam artificio declinarent. 5. Esto etiam publica quarundam Synagogarum exemplaria à Judæis fuisse

fuisse castrata, Hebræi tamen codices non fuere castrati, de quibus quæstio est. Et ambigo mecum an S. Justinus, hæc tam audacter asserentis, satis sit certa fides. Tryphoni hæc Justinus assertio videbatur incredibilis. p. 233. Annon si expendimus Judæis nihil fuisse castrandæ Scripturæ causæ, Justinus videbitur plusculum hic indulgisse suspicioni? Sunt alia Justinus asserta quæ in dubium vocantur, ut quæ narrat de LXX. Interpretum cellulis, *Paræn. ad Gr. p. 13.* quæ prorsus negantur, ut cum ait LXX. viralem versionem adornatam fuisse tempore Herodis M. *Apol. pro Chr. II. p. 27.* an religio nobis erit etiam de hoc Justinus asserto dubitare? Denique etiam 6. si evinci posset verba hæc Jeremiæ ex omnibus Græcis Judæorum codicibus tam publicis quam privatis fuisse summota, tamen sufficit, certo ac indubitato nos scire ea adhuc salva ac illibata extare in codicibus Hebræis, cum si ista mutassent, non tamen propterea quidquam assecuti fuissent præsidii adversus veritatem Christianam. Pono enim verba quæstionis non alium quam crucifixionis sensum sustinere posse, quod tantopere præteditur, eadem ipsa verba quæ hodie in Hebræo leguntur, si extra connexionem spectantur, crucifixionis significatum non respuunt. Dicunt Judæi: *בשחיתנו* *corrumparamus* sc. Christum: *והיה לנו* *crucem* sc. feret, *בדבר* *pro pane doctrine sue*, vel si metaphorica significatio, quam urgent dissentientes, magis placeat, *in corpore suo*: Concisa foret oratio, affectui furentium non inconveniens: *Perdamus! crux seu lignum ei pro doctrina sua!* Quæ omnia cum recta reputantur via, annon fatendum est Judæis magnam fieri injuriam quod citra omnem rationem ipsis crimen falsatæ hic Scripturæ tam audacter

C

eter

ter imputatur? Sint illi perduelles Christiani nominis, sint irrisores doctrinæ de cruce, nequaquam tamen odio in CHRISTUM eo se adigi patiuntur, ut corrumpant Scripturam, in qua sibi perscriptam salutis rationem esse certissime persuasi sunt. *Job. V. 39.*

ZACH. IX. 9.

Genuina lectio juxta vulgatam. Corrupta juxta Codicem Hebr.
Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iustus & SALVATOR: ipse pauper & ascendens super asinam & super pullum. *Exulta valde filia Sion, jubila filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iustus & SALVATUS IPSE, Sc.*

Conveniunt *Vulgata & Græca versio.* Ultraque legit *SALVATOR.* Olim ergo & in Hebræo fuit lectum *TZADIK* p 216. m. f. *VE JOSCHEA* aut *VE JOSUA*, i. e. *JUSTUS & SALVATOR* p 107. pr. quæ lectio ab ipso Chaldæo adhuc approbatur. Pro hoc posuerunt med. *Judæi, TZADIK VENOSCHA HU: JUSTUS & SALVATUS EST: atque ita CHRISTO suffurati sunt dulcissimum Salvatoris nomen. Cum itaque hoc ingens lectionis discrimen manifesto prodat malitiam Judæorum, quis adhuc eos falsationis absolvat? Quis Hebræos codices pro authenticis & integris agnoscat?*

Resp. Sine ratione prægnanti aliquem criminis accusare iniquum est. Hic Judæi falsatæ Scripturæ arguuntur: Ratio prima est, quia Græci active legunt *Σωτήρ* *Salvator.* Præpostera ratio! An ergo Hebræus codex ad Græcam versionem, quæ ex ipso adornata, examinari debet? Hoc vero est cisternam fonti præferre. Ex locis præcedentibus manifestum, non posse Hebræo codici impuritatem aut corruptelam imputari. Corrigenda ergo Græca lectio ad normam Hebrææ. Altera ratio, quia Ipse Chaldæus confirmat lectionem activam, legens *ܡܪܝܢܘܫܐ* *Salvator.* Bene. Ergo Chaldæus aut

aut invenit activam vocem in textu pro qua postea sit substitutum *נישע*, aut in ipsa voce *נישע* sensum activum supposuit; aut denique non recte transtulit. Primum asseri non potest. Si enim Chaldæus activam legit vocem, Hebræus textus passivam, oportet alterutrum textum esse spurium. Jam vero Judæi utriusque textui divinam auctoritatem adscribunt: *התרגום הוא רוח הקדש* *Targum Spiritus S. instinctu factum est*, Schebb. *Jeb. p. 52*. Si ergo hic Judæi corrupissent textum, si pro activa voce passivam posuissent, annon falsationis factæ statim ex Jonathane possent convinci? Cum autem Chaldæus hoc *נישע* transtulerit *פריק* *Salvator* in sensu activo, apparet ipsum sensum salvandi activum in eo agnovisse. Probant autem & alia exempla, participia passiva, cum nomina scunt, induere sensum activum. Sic Chaldæus *Pf. CXXXVII. 8.* *כחותה* vertit *כחותה* *vastatrix* Syr. *כחותה* *depredatrix*. *Gen. VI. 4.* *נפילו* Chald. *גבריה*. Raschi putat dictos *על שם שנפלו והפילו את עלם* *eo quod cadunt ipsi & cadere faciunt homines*. Aq. *עוֹלָמוֹתָם* Sic in *ישפט* & *נלחם* sensus activus & passivus sibi subordinantur. Illud *discepavit* hoc *bellavit*. Annon qui provocat ad certamen, bellum, aliorum patitur contradictionem, oppositionem? Sic & in *נישע* amice conspirant sensus activus & passivus tanquam subordinati. Messias ad salvandum mundum venit; At non potuisset salutem ipsi præstare, nisi & ipse fuisset salvatus. Huc pertinent omnes Messiaæ preces in Psalmis pro sui liberatione fusæ *Pf. XVI. 1. 8. 10.* *Pf. XXII. 1. 13. 20. 21. 22. 26. 27.* *Pf. XX. 1. 2. 7. 6.* *Pf. XXI. 6. 8.* Nec Abarbanel activum sensum excludit, *צדיק במעשיו ונישע ומצליח במלחמותיו* *justus, inquit, erit quoad opera, prospere aget in bellis*. Optime ergo potuit Chal-

dæus sua interpretatione Græcorum versionem confirmare, quia sensum activum in voce Hebræa agnovit, ac propterea non debet opponi Judæis, quibus hic falso crimen corruptionis impingitur. Si denique erravit Chaldæus, an interpretis error fraudem facere potest vere lectioni? Duo hic alia verba pro *יֵשׁוּעַ* substituit Cl. Autor, nempe vel *vejosbea* vel *vejosua*, quæ censet vere significare *Salvatorem*. Enimvero, si alterutrum horum verborum substituatur, solæca reddetur Prophetæ oratio. Nam *יֵשׁוּעַ* *Josbea* participium kal esset ex *יָשַׁע* quæ radix inusitata est Hebræis, nequæ unquam inflecti legitur, sed nonnulla duntaxat nomina de se format, *יָשַׁע תְּשׁוּעָה* *auxilium*. Quod si in usu esset, tamen non transilivum sed passivum gereret significatum, quod apparet ex Hiphil *salvavit*. Unde colligere est quod *יָשַׁע* kal *יָשַׁע* ordinaria significatio foret, in *salute fuit, salvatus est*. Si ergo hæc esset genuina lectio *tzad-dix vejosbea* sensus maneret passivus: *justus & salvatus*. Alterum *vejosua* quid sit non intelligo. Neque enim participium esse potest. Si nomen est, Josuam notabit, Ducem Israël: quod quidem salvandi sensum habet *Salvatoremq;* notare potest: at quia nomen proprium est, ad hunc locum est incongruum est. Tertia ratio est quia hoc pacto surripitur CHRISTO svavissimum nomen Salvatoris. Quid? an unus hic Scripturæ locus exhibet nomen *Salvatoris*? Quis tam hospes est in Sacris qui hoc sibi patiatur persuaderi? Vocatur CHRISTUS in Hebræo cum concretive *יֵשׁוּעַ* *Salvatorum* abstractive *יָשַׁע* *Salutari*. Utramquæ vocem tam Græci quam Latinus optime transtulerunt SALVATOR. Allegabo tantum nonnulla ex
Esaia

Esaia loca *Es. XLV. 15. DEUS Israelis* מִשׁוּעַ Gr. σωτήρ
 Lat. *Salvator* *Es. XLV. 21. Non est preter me justus* & מִשׁוּעַ
 σωτήρ *Salvator*. Cum quo loco si conferas verba Sa-
 chariæ, non absurda videbitur activa vocis מִשׁוּעַ si-
 gnificatio, siquidem hic per מִשׁוּעַ *Salvator* explicatur.
Es. XII. 2. Ecce DEUS וְשׁוּעַ *Salus mea* Gr. σωτήρ μὲν Lat.
Salvator meus *Es. XVII. 10. Oblita es DEI* וְשׁוּעַ *Salutis tue*
 Gr. σωτήρ ἄ σὺ Lat. *Salvatoris tui*. Imprimis notandus
 est locus *Es. XII. 2. Et fuit mihi* וְשׁוּעַ *in salutem*.
 Hunc Chaldæus concretiva voce expressit לוּ וְהוּוּ
 לַפְּרוּק & *fuit mihi in Salvatore* quod idem & *Exod. XV. 2.*
 & *Pf. CXVIII. 14.* ubi eadem occurrunt verba, factum
Es. XXVI. 1. וְשׁוּעַ וְשׁוּעַ חוֹמַת חוֹלֵי Lat. *Salvator ponetur in ea murus* Rectis-
 sime וְשׁוּעַ abstractum concretivo termino effertur
 SALVATOR. Cum itaque ex his appareat Salva-
 toris nomen & ubique CHRISTO in Scriptura dari,
 & in hoc Zachariæ loco per מִשׁוּעַ recte significari,
 quo jure Judæi in suspicionem vocari possunt corru-
 pti hoc loco textus, eo ut svavissimum SALVATO-
 RIS nomen Messiaë suffurarentur? qui si mere pas-
 sivum sensum voci dederunt, incommodæ quidem
 interpretationis non autem corrupti textus argui
 possunt.

ZACH. IX. 11.

Vera lectio.

Falsa textus Hebræi.

Tu quoque in sanguine Testamenti Etiam tu in sanguine fœderis tui;
tui emisisti vinctos tuos de lacu. emisisti vinctos tuos de cisterna.

Corruperunt & hunc textum Judæi, ex masculinis fecerunt
 fœminina pro SCHILLACHTA emisisti posuere SCHIL-
 LACHTI emisisti ut impedirent, ne de CHRISTO ejusq. potentia

C 3

quam

p. 218. *quam habet in infernum verba explicarentur. Nunquam hæc*
 p. 219. *lectio fuit ab Ecclesia recepta, siquidem & virtutem sanguinis*
CHRISTI & sententiam de emissionem justorum, qui per plura
secula in locis tenebrosis erant detenti, prorsus destruit.

Resp. I. Ergo pervertendi sensus gratia instituta est hæc à Judæis falsatio, ne necesse haberent Christianis concedere textum agere de Messia. Pono olim in Hebræo lectum fuisse, ut adhuc est in LXX virali versione; *Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu*, quo quæso certo & irrefragabili indicio ostendetur subjectum propositionis esse Messiam? Quo nervo constringentur dissentientes ut credant non alium quam Messiam dici emittere vinctos è lacu? Oportet hujus subjecti evidentia plane esse indicia, quæ nullam admittant contradictionem: quamdiu enim effugium admittunt, probabile non est Judæos textum corrumpere voluisse, qui nullo negotio detorqueri poterat ad subjectum peregrinum. An quia Subjecto sanguinis Testamenti tribuitur? Si crederet Judæus sanguinem satisfactorium Messiae in Scriptura dari, parum nobis negotii focesseret Judæorum conversio. Enimvero nihil hic est, quo Judæus se convinci patiatur, textus subjectum Messiam esse: ideoque apertissimam semper retinet effugiendi januam, textumque de quovis alio quam Messia interpretandi. Intelligunt hic per sanguinem fœderis, sanguinem fœderis Legalis, quod DEUS cum ipsis in Sinai pepigerat, vel sanguinem circumcisionis, qui etiam sanguis fœderis vocari potest ex *Gen. XVII. 10*. Per foveam autem intelligunt captivitatem & exilium, quod inter Gentes ferunt. Significat itaque ipsis, emittere vinctos ex fovea per sanguinem

nem fœderis, idem quod, revocare exules Judæos ab exilio propter sanguinem circumcissionis. Jam si quaeritur quodnam sit genuinum subjectum hujus prædicati, Judæus respondebit, DEUM esse, cui illa actio etiam alibi in Scripturis tribuatur, neque ad hoc evincendum ulla textus mutatione opus habebit. Quæ ergo probabilitate in suspicionem falsati textus hujus vocari possunt? 2. Veram & genuinam lectionem esse quam adhuc servat Hebræus textus probat connectio. Introducitur in textu loquens DEUS Pater, conversionem promittens Philistæorum v. 7 protectionem Sionis in CHRISTO v. 8. ob cujus adventum lætitiâ Sioni indicit v. 9. pacem Sioni cum gentibus, & coitionem in unum cœtum promittit v. 10. Hic objicere poterat Sion: Quid est, o DEUS, quod tam sollicite curam geras conversionis gentium? annon & filiorum meorum memor eris, Apostatarum, qui vinculis Satanae detinentur? Plurisne tibi sunt filii Gentilitatis, quam mei, quæ nunquam à fœdere tuo discessi? Hanc objectionem tacitam occupat DEUS ita pergens v. 11. Non gentium tantum Idololatricarum curam geram, sed & quod Te, o Sion, quæ in fœdere, sanguine CHRISTI sancito, hucusque perstitisti, attinet, etiam tuos victos ex captivitate infernali per CHRISTUM revocabo. Hinc converso ad apostatas sermone v. 12. serio ipsos revocat ad CHRISTUM unicum adversus Satanae insultus munimentum; Revertimini, inquit, ad munimentum &c. Hæc naturalis textus *συνέφερα* à Græcis & Latino inhoneste turbatur, ficta ad Messiam apostrophe, quæ alia ad victos Sionis apostrophe statim iterum abrumpitur v. 13.

3. Do-

3. Doctrina de emissionē Sanctorum ex locis tenebrosis nulla est. Tradant eam Cyrillus Alex. Hieronymus, Rupertus, alii, nihil illa neq; hic neq; alibi in Scripturis invenit praesidii. Quænam enim sunt illa loca tenebrosa, quæ hic per foveam intelligi putat Cl. Autor? An limbus Patrum? Ille esse non potest quia Patribus in limbo, juxta mentem Pontificiæ Scholæ, relinquitur aqua consolationis. At hic carcer dicitur omnis aquæ consolatoriae expers. An purgatorium? Neque hoc intelligi potest, quia in purgatorio animæ non sunt vincæ, siquidem ad viventes ex eo possunt proficisci. At qui in hoc lacu sunt, victi esse dicuntur. Quia ergo nec limbus Patrum nec purgatorium intelligi potest, quid aliud innuetur quam infernus? Vincæ in inferno dicuntur, qui constricti sunt reatu peccati. Unde emittere vincetos ex inferno, notabit, remittere peccatum iis qui sunt sub reatu æternæ mortis. Idem est quod *vivificare aliquem è fovea* Ps. XXX. 4. exponitur ib. per phrasin synonymam *Ascendere aliquem facere ex inferno.* שָׂאוּ וְכוּר פִּי נִיחָנִים וְחַוִּיתֵנִי מִבְּרֵית הַמֵּתִים וְחַוִּיתֵנִי מִבְּרֵית הַמֵּתִים *Per Scheol pariter & Bor intelligitur Gehenna quæ est pœna impiorum. Quod dicit vivificasti me ex descendens in foveam, i. e. separasti me à descendens in infernum & ita vivificasti me. Ita Kinchi in h. l. conf. Ps. XXVIII. 1. Cum itaque בור fovea h. l. neque limbum neque purgatorium, sed pœnam impiorum significet, manifestum est per vincetos qui in fovea non posse innui justos & Sanctos. Pronus ergo concidit sensus de Sanctorum aut Justorum liberatione ex locis tenebrosis. Quia itaq; hæc doctrina profus nulla est, cessat ejus destruendæ metus, expirat suspicio de corrupto textu.*

☞ (○) ☞

Vera lectio.

Falsa Hebræa.

Et suscepistis tabernaculum Moloch,
& sidus DEI vestri Remphan, figu-
ras quas fecistis adorare eos.

Et portastis Ziccut Regem vestrum,
& Cuius imaginum vestrarum, stel-
lam Deorum vestrorum quos faci-
stis vobis.

Discrepantia Lectio-
num manifesta. Illa Stephani est
allata Act. VII. 43. conformis Versioni Græcæ & Vul-
gatæ. Hæc corrupta Judæorum est, quæ, cum prius ex-
taret VENESATHEM ETH SACOTH MOLOCH,
quæ vera lectio erat, scripserunt VENESATHEM ET
SICHUT MALECHEM. Deinde pro וְרֵבָן REVAN, posue-
runt וְצִקּוּט CIUN, & mutato in וְ & subjectis aliis punctis.

p. 219.

p. 220.

p. 221.

Resp. 1. Non levis hæc est mutatio. Prægnan-
tem ergo causam subesse oportet quæ Judæos ad hanc
falsationem impulit. Quænam illa est? Nullam vi-
deo afferri. Incusantur Judæi à Stephano Idololatriæ:
an propterea forte falsarunt textum posteri, ut turpi-
tudinem Idololatriæ à Patribus suis abstergerent?
Certe quæcumque etiam afferatur interpretatio, manet
exprobratio Idololatriæ in textu. Aperte satis versio
Jud. Germanica: Und ihr traget Abgötterey / und
den Form eurer Bilder / denn Stern eures GOTT /
das ihr euch selbst hat gemacht. Adeantur reliqui in-
terpretes Jud. nemo ipsorum negat Majoribus suis
hic exprobrari idololatriam. Quo ergo fine corru-
perunt hunc textum? Sed 2. ponderabimus lectio-
num difformitatem. In Græco est: σκηνὴ τῆς Μολόχ
tabernaculum Molochi: In Hebræo זִקּוּט מַלְכֵיכֶם Ziccut
Rex vester. Hujus nominis Rex ignotus est cum Scri-
pturæ tum universæ historiæ. Satis ergo palpabilis

A

hæc

hæc est corruptio ait Cl. Autor. Resp. Obvertenda hæc sunt Ariæ Montano qui ex *sicut* fecit nomen proprium. Pono esse nomen proprium idoli, an propterea quod semel hic legitur, neq; alibi vel in Scriptura vel in historia invenitur, à Judæis corrupta vox est? Chaldæus retinet סכות quod tamen non nisi *tabernaculum* verti potest, prouti etiam interpret reddidit: *tabernaculum Sacerdotum vestrorum*. Radix est סכך *textit* quæ dum regulariter inflectitur, format nomen סִכְכֹּת' uti סִכְכֹּת' facit סִכְכֹּת' pro quo contracte est סכות *tebtum*. Non ergo respuit significatum σκηνῆς. Quia autem vox hæc quoq; ad סִכְכֹּת' referri potest, in sensu קיבול *susceptionis* רצון סבלות *susceptionis voluntaria*, ut Kimchi & AbenEsra exponunt, hinc LXX videntur utramque significationem vocis hic exprimere voluisse, vertentes καὶ ἀνελάβετε σκηνὴν & *suscepistis tabernaculum*. Per מלככם quod Græci verterunt μολόχ, Judæi non intelligunt Regem quendam Israëlitarum, sed Idolum, non quidem speciatim Ammonitarum, sed in genere cultum astrorum. Æquipollentia sunt, nec nisi forma differunt Melech, Molech, Moloch. Agnovit hoc Aquila, ideoq; hic מלככם vertit μελόχμ. Conf. Zeph. 1. 5. מלכם quod itidem Græca quædam editio transfert μελόχμ. Et notat Nachmanides ad Lev. XX. 1. 2. 3. 4. *Molech in genere dici de omnibus quæ ad cultum profituuntur*. Et Bechai in h. l. scribit *Molech non esse confundendum cum Idolo Ammonitarum*. Hinc & generali vocabulo transtulit Chaldæus פתכומוכו *Idolorum vestrorum*. Amstæl. Cure Abgötterey. Ben Melech confert cum מלכת השמים Jer. VII. 18. quod est מעשה השמים *opus cæli* seu כוכבים *stella*; ἑραλίαν ἢ ἕρανα videtur vertere Stephanus

nus

agnoscant in CHIUN significatum Saturni, quæ spe, quæ fine Majores ipsorum eam pro REPHAN substituisse censebuntur? Arabes Saturnum CHIUN aut CHAIVAN appellant, Ægyptii REMPHAN, RAIPHAN, REPHAN: *Conf. Boib. Hieroz. part. 1. fol. 864.* quod si Græcis in Ægypto versionem Bibliorum adornantibus pro Arabica Ægyptiacam vocem adhibere placuit, quid est quod Judæis dicam falsationis tam præcipites impingimus? Sed, ut dicam quod sentiam, commodius per רמפח intelligitur *aptatio*, neque adeo Græci nomen Deastri videntur in textu invenisse, sed aliunde addidisse. *Tulistis imagunculas vestras adaptatas quasq; ad suas stellas.* Præfero ergo Amstelod. versionem *die Form eurer Bilder.* His ita consideratis, apparet amicam esse Græcæ & Hebrææ lectionis conformitatem. Hebræa est: *Tulistis tabernaculum Molochi vestri, & aptatas imagunculas vestras; imprimis imaginem Stella DEI vestri, quas fabricastis vobis.* Græcæ est: *Suscepistis tabernaculum Moloch, stellam DEI vestri Remphan, imagines quas fecistis vobis.* Eadem utrobique manent verba, nulla interveniente mutatione. Peritis judicandum relinquo utra lectionum sit significantior. Addit Stephanus $\text{\omega\rho\sigma\kappa\upsilon\upsilon\epsilon\iota\upsilon\ \alpha\upsilon\lambda\omicron\iota\varsigma}$, quæ verba neque in Græco neque in Hebræo textu extant. Hoc Stephani exemplo discimus licere interpretibus explicationis gratia sæpe quædam ad textum adjicere. Fecerunt idem Græci, dum adjecerunt Remphan, quod non erat in Hebræo. Denique non prætereundum est quod Autor Cl. dum nobis veram lectionem exhibere conatur, imprudens vitia Grammaticalia inferat in textum. Quis enim ferre posset *venesatbem* pro *unesatbem* quæ vox textualis est adhuc

adhuc exstans? Et quid quæso est *Sacoth*? quæ radix? quæ significatio? Ex סך *textit* esse non potest: reclamationis forma. Si est ex סכת formæ סך קריב, perdet significatum *tabernaculi*, & induet sensum *obædientis*, pro natura suæ originis. Quam absonus inde prodiret sensus? Maneat ergo nobis *Sicut*, rejecta spuria voce *Sacoth*, quæ præterquam quod nullius sensus est, male quoque punctatur. Nam quia in regimine ponitur, non *Kametz*, sed *Scheva* habere, & *secotb* legi deberet.

JOB. XIX. 25. 26.

Vera lectio Vulg.

Falsa lectio Hebr.

Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra resurrexurus sum. Et rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo DEUM meum.

Et ego novi Redemptorem meum vivum, & novissimo super pulverem staturum. Et post pellem meam contriverunt lanc, & de carne mea videbo DEUM.

IN vulgata versione clare traditur mysterium de resurrectione ejusdem carnis, dum habet: **IN CARNE MEA VIDEBO DEUM**. Confirmatur illa à LXX, à Patribus, & aliis Interpretibus: Item à Theodotione, qui suo tempore adhuc quedam resurrectionis indicia in hoc textu deprehendit; vertit enim **NOVISSIME SUPER PULVEREM**, aut potius, **E PULVERE RESUSCITABIT**: ab Hieronymo, & ipso Lutero, qui **JAKIM** in **JAKUM** corruptum esse fuit persuasus. Omnes denique Christiani de resurrectione locum interpretantur. Contra Judæi & Judaizantes nihil hic docent de resurrectionis mysterio. Consequens est Scripturam ipsorum jam inde à pluribus seculis fuisse corruptam.

Resp. I. Nullumne ergo resurrectionis carnis indicium superest in Hebræo textu? Annon aperte leguntur in ea eadem verba quæ vulgata exhibet. *Et à carne mea videbo DEUM?* Quod si ex iis probari potest car-

nis ejusdem resurrectionis, annon & Hebræa lectio resurrectionem ejusdem carnis aperte inculcat? Aut an propterea resurrectionis dogma nullum in Hebræo textu locum invenit, quia Judæi & Judaizantes eum de temporali Jobi redemptione exponunt? O quam inani fundamento superstruitur ponderosissima assertio de corruptione Hebræi textus! Si sensus detorsio infert verborum literæ ac textus corruptionem, annon corruptissimæ versiones erunt Vulgata & Septuaginta-viralis, utpote quæ innumeris Hæresibus argumenta errorum suppeditarunt & adhuc suppeditant? 2. Versio Græca est: *Novi quod aternus est, qui me liberaturus est. In terra resurget pellis mea exantlans hæc. A Domino enim hæc mihi confecta sunt, quæ ego mihi ipsi conscius sum, &c.* Hac Græcorum versione ait Cl. Autor confirmari vulgatam, etsi non tam clare dogma resurrectionis tradat: Contra Hebræum textum dicit ita esse obscurum, ut nemo possit divinare quid sibi velit. Quo ipso nimis se occupatum esse prodit amore Græcæ Latinæque versionis. Quis non primo intuitu videt summam versionis hujus obscuritatem & difformitatem cum à Vulgato tum ab Hebræo textu? Age instituemus comparisonem.

VULG.	vivit	quod Redemptor meus	scio	Ego
SEPT.	qui aternus est	quod me liberare	novi	Et ego
	חַי	וְיָצִילֵנִי	וַיַּדְעֵנִי	וַאֲנִי
	resurrecturus sum	de terra	& in novissimo	
	resurget	In terra	futurus sit.	
	וְקוּם	עַל עֵפֶר	וְאַחֲרָיו	
	circumdabor	pelle mea	Et rursus	
	exantlans	pellis mea		
hæc	בְּקַפִּי	עוֹרִי	וְאַחֲרָיו	DEUM
	וְאֵלֵּי			

DEUM
hac
אלוה

videbo
confecta mihi sunt
והיוני

& in carne mea
A Domino enim
ומבשרי

Quis tanto pollet mentis acumine ut hanc tam præ-
posteram versionem cum Vulgata conciliare possit,
ne dicam cum Hebræo textu? 3. Male colligitur ex
versione vocis Hebrææ in sensu activo Theodotionem
& Lutherum legisse יקום stare faciet, non יקום stabit. Imo
hoc sequitur, quod in voce יקום supposuerint sensum
transitivum, quem etiam quædam tenet Græca editio,
legens ἀναστήσει. Cæterum quod versionem Theodo-
tionis, ἐπὶ χώματος ἀναστήσει, Cl. Autor censet æque verti
posse *ex pulvere resurget*, ac *super vel in pulvere*, id non
videtur convenire cum tenore literæ, aliud enim est
ἐξ, aliud ἐπὶ. Recte dicitur *in pulvere stare*, quæ phra-
sis etiam exstat in textu. At quia Theodotion tran-
sitivum sensum supposuit in verbo neutrali, hinc illa
inconcinnior versio est, de vera lectione יקום adhuc
non obscure testans.

Judæi resurrectionem carnis in his Jobi verbis nunquam
quæsiere, id quod Grotii verbis probo: Hæc verba, (ait in
h. l.) & quæ sequuntur Judæi nunquam ad resurrectionem retu-
lere. Hinc infero: Si Judæi nunquam quæsiuerunt resurre- p. 223. pr.
ctionem carnis in his verbis, Scripturæ Christianorum sunt falsa
& erronea, siquidem illæ aperte de hoc mysterio loquuntur.

Resp. Hoc argumento Martianæum adversa-
rium suum impugnat Reverendiss. Autor, persuasus
eum posterius non esse affirmaturum. Operæ pretium
est evidentius paulo sistere hanc argumentationem.
Primum affirmat Cl. Autor ex Grotio, dogma resur-
rectionis à Judæis in his Jobi verbis non inquiri. Hinc
infert:

infert: Si non inquiritur, Ergo in iis non continetur: Porro: Si non continetur, concedendum aut Hebræum textum esse corruptum, aut versiones, quæ id continent, esse falsas ac erroneas. Hoc posterius nemo sanus affirmaverit. Ergo illud erit indubium. Non crederem serio rem agere Virum Clarissimum, nisi jam plures ejusmodi paralogismos observassem. Quid autem? An propterea dogma resurrectionis non est in textu Hebræo, quia à Judæis in eo non inquiritur? Quæ obsecro consequentiæ ratio? Nec hodie Judæi JESUM Nazarenū scrutantur in Scripturis: an propterea Scripturæ non perhibent de ipso testimonium? Hoc vero directe esset contra Job. V. 39. Nec Sociniani dogma de Deitate CHRISTI, aut Pontificii de justificatione peccatoris per solam fidem inquirunt in Scripturis, an propterea in iis non est traditum? Ita vero perspicue ita plene ac sufficienter dogma resurrectionis traditur in hoc textu Jobæo, ut nemo, nisi plane excecatus præjudiciis, non primo intuitu illud animadvertat. Esto, torqueant Judæi textum, serviant præjudiciis suis, contentur exculpere ex eo temporalem Jobi liberationem, nequaquam tamen verbis & phrasibus textualibus genuinum suum sensum poterunt auferre.

Expendamus paulisper verba וְאֵנִי יָרְעָתִי : וְאֵנִי יָרְעָתִי Chaldæus recte transfert: *Scio Redemptorem meum vivere.* Sic & Amstelod. ich weiß wol daß mein Erlöser lebet. Quis intelligitur per Goëlem? Respondet R. Gersonides שִׁי שָׂנְאֵל נַפְשׁוֹ וּמְצִיעַ לָהּ הַצְּלוּתָהּ *qui redimit animam meam & applicat ipsi suam salutem.* Verum DEUM intelligit, cujus neglectum Jobo exprobrave-

braverant Amici. **AbenEsra**: נאלו שדבר בשבילי טוב *Goël est, qui pro me intercedit.* Hic dicitur חי *vivens.*
Gersonides: הוא חי וקיים לנצח *Hic vivit & perstabit in eternum.* **AbenEsra**: הוא היום כחיים או יהיה אחרון *Hic aut jam est in vivis, aut erit postremus qui nascetur.* Ille de DEO, hic de homine interpretatur; adeoq̄ tale prædicatum est, qv̄od apte competit in *Ἐάνθρωπος*. Non tam obesæ naris sunt Judæi, qv̄in intelligant hic vaticinium haberi de *Ἐάνθρωπος* ex mortuis resurrecturo. Hinc non mirum est, qv̄od illud obscurare omni ope allaborent. Sed pergimus. **Chaldæus** adverbialiter accipit *כן ומכתו & postea.* Alii nominaliter. **Gersonides** אחרון הוא השׁוֹת וקראו *Per postremum intelligitur DEUS benedicendus, qui vocatur postremus ratione nostræ inquisitionis, qv̄anqv̄am primus sit ratione existentie.* R. Salomo לאחר שוכלו כל שוכני עפר הוא אחרון *posteaqv̄am consumti fuerint omnes habitantes in pulvere, ipse postremus stabit ac firmiter perstabit.* **Amstelod.** Und er wird zum hintersten nach alle Geschepnis auff der Erden bestehen. Præferenda est nominalis acceptio. Sed qv̄o sensu DEUS postremus stare dicetur super pulvere? An in DEUM cadere potest statio super pulvere? Hoc ipso, inqv̄iunt, metaphorice innuitur *נצחיותו וקיומו* *eternitas & permanentia DEI.* Imo comparatur Redemptor cum hominibus in terra habitantibus, tanqv̄am postremus prioribus. In qv̄o tertio instituitur comparatio? An non in tertio stationis super pulvere? Ut illi non stant perpetuo super pulvere sed consumuntur, in pulverem rediguntur, ita hic non redigetur in pulverem sed super

B super

super pulvere resurget. Vere opponitur Redemptor tanquam homo postremus, homini primo. Ut hic in pulverem revertebatur, ita ille in pulverem non reversurus erat, sed postquam gustasset mortem, super pulvere staturus. *Conf. 1. Cor. XV. 45. Hebr. II. 9.* Diversa hic est lectio Targumica. Alia est **ומן בתר כרתן ער עפרת יקום** & *postea redemptio ejus super pulvere stabit.* Quid hoc est dixisse? Haut scio an ita legi debeat **מן בתר די פורקנוה ער עפרת יקום** *post redemptionem suam super pulvere stabit.* Alia est: **ומן בתר כן עלי יקום** & *postea, propter me resurget.* Ita aperte Redemptor dicitur propter Jobum moriturus, propter Jobum resurrecturus. Quid porro est **יחור עורי נקפו זאורי** R. Salomo & Gersonides de corporali persecutione, quam Jobo inferebant hostes, exponunt **שברו את העצם** *postquam pertulerunt cutem meam, confregerunt ossa.* Amstæl. und als sie mein Haut / dieses durchschlagen haben / obscure pariter & inepte. Recti⁹ **שברו ונקרו התולעים** *fregerunt & perfoderunt vermes hoc, i. e. banc meam substantiam.* Subjectum non sunt hostes Jobi, sed vermes: Objectum corpus, cutis, substantia Jobi: Actus non persecutio aut irritatio ac vexatio, sed proprie dicta admorsio ac perfossio. Effet ergo: *Postquam cutem meam, vermes perfoderunt hoc.* Dura certe oratio & hispida. Aliam eamque magis congruam investigare suadet accentuum positus. Cohæret **עורי** cum **יחור** per munach. Incongruus in **עורי** videtur *cutis* sensus. Quid si dicam infinitivum esse, formæ **בושי בואי** & significare *destrui*? Sensus esset percommodus *postquam destructus fuero.* Radicem **עור** sensum *destructionis* haut

haut invitam admittere probo ex sensu ערער Conjug. Piel & Hitpael, Jer. LI. 58. ערער התערער murus Babelis destruendo destructur. Ad hæc verba Kimchi: ענין שבר והרוסה וכן עוררו ארמנותיה ושרש עור מנתי העין ונכפלה פה הפעל ולמר הפעל כערער *notat fracturam & destructionem. Idem sensus est in OREERU, Es. XXIII. 13. Utrumq. referendum ad radicem עור ita ut in AREER geminentur prima & tertia radicalis. Conf. ps. CXXXVII. 7. ערו ערו destrui mini destrui mini usque ad fundamentum. Ut ergo Piel ערער notat destruxit, ita Kal עור intransitivum geret sensum, destrui. Adeoque duas contrarias geret significationes excitari & destrui. Amstælodamenses locum Jeremiæ ita transferunt: Die breite Mauer von Babel wird in ein Milt ausgewurthelt werden. Sensus est: Postquam destructus ac resolutus fuero, postquam vermes corroserint hoc meum corpus. Sic duæ ponentur propositiones satis evidentes, quas accentuum ratio quoque videtur postulare. Ac non inelegans est allusio ad murum corruentem. Ut murus dejectus in minimas particulas redigitur, ita corpus demortuum in cineres & pulverem. Sequitur ומכשרי אחזה אלוה. Horum verborum sensus evidens est: Notant enim ocularem DEI super pulvere resurgentis ex resuscitata carne aspectum. Confirmat eam versio Amstælodamensis: So werde ich aus meinem Fleische Gott anschauen. Judæi & hic metaphoricam visionem venantur: q. d. in carne mea videbo DEI vindicantis manum. Vid. Raschi, AbenEsra, Gersonides. Jalkuth Th. in h. l. אלוהי שעשותי כן מהיכן הקכה נגלה עלו שנ וורא אלוה וי nisi me circumcidissem, quomodo DEUS mihi potuisset apparere? ut dicitur Gen. XVIII. 1. Et apparuit Abrahamo Jehova.*

Confirmat hoc medrasch verba textus ocularem visionem DEI in forma visibili apparentis denotare. *2. Ier.*

Pluraque verba improprie accipiunt Judæi, juxta quorum mentem hæc esse potest verborum paraphrasis: *Scio, DEUM, qui me vindicaturus est, vivere, & omnibus creaturis è terra intereuntibus, postremum remansurum super terra. Licet ergo hostes mei corpus hoc meum affligant, meque vexent & persequantur, tamen certus sum me in carne mea visurum vindictam DEI ulciscientis illorum injuriam.* Regula bonæ interpretationis est non esse discedendum à sensu proprio ad alienum, nisi evidens postulat necessitas. Quam indigne eam violent Judæi, simplex verborum resolutio ostendet. Confidit Jobus se à DEO ex animæ malis liberatum iri. Hoc fatentur Judæi. Hic liberator vocatur *1. GOEL*, qui jure consanguinitatis liberat. Erit itaque Jobi *ὁμοστίος* & sic etiam verus homo. Innuitur autem simul salvandi medium. Quod est satisfactio & mors cruenta. Sine sanguine enim nulla est remissio peccatorum *Hebr. IX. 22.* Unde *2.* cum *VIVERE* dicitur simplex verbum positum est pro composito *reviviscere*, prouti Hebræi simplicibus loco compositorum, quibus destituuntur, uti consueverunt. Idem vocatur *3. POSTREMUS*, non respectu omnium hominum, ut inepte explicant Judæi; eum enim comparandi modum evertunt vaticinia de Messia; sed respectu unius hominis qui primus dicebatur *Rom. V. 14.* Nempe ut Adam redactus in pulverem, ita hic Goël non redigetur in pulverem. Quia autem nihilominus ipsi moriendum est, *4. STABIT*, i. e. iterum stabit, seu resurget ex morte, non ex pulvere, quod probe notandum puto, non enim incinerabitur *Pf. XVI. 10.*

XVI. 10.

XVI. 10. sed 5. *SUPER PULVERE* i. e. super corporibus in pulverem; & cinerem redactis, metonymice; unde simul tangitur ejus sepultura, per quam inter putrescentia defunctorum corpora relatus, ipse putrescentiæ omnis expers. 6. *ET POST DESTRUI MEUM*. Rationes significatus hujus supra dedimus. Potest autem ערר etiam formam nominis gerere. Ut enim *dur* ex *dur* est, ita *or* ex *ur*. Sic reddi deberet, *post demolitionem mei*. 7. Ad alterum membrum de integro repetendum אחר *POST QUAM*. 8. Verbum activum נקפי ponitur nude, ut fert lingvæ genius. Ideoq; vel impersonaliter vertendū *CORROSUM EST*, vel subintelligendū subjectum commodum, quod vermes corrodentes esse Rabbinii concedunt. 9. *HOC* i. e. hanc visibilem corporis mei machinam, 10. ומבשרי pleonasticum ו redundat ut, solet, *EX CARNE MEA* sc. resuscitata. Non enim victurus erat Jobus ad Messiæ adventum in carnem. 11. *VIDEBO* nempe corporeis oculis, quippe erat ex carne sua visurus. 12. *DEUM* nempe eundem qui paulo ante descriptus, Redemptorem, morientem reviviscentem resurgentem. 13. *QUEM EGO VIDEBO MIHI, ET OCULI MEI VIDEBUNT, ET QUIDEM UT NON PEREGRINUM*. Convenientius objectum videndum quam subjectum videns intelligitur, cum ita constructio videatur postulare. Hæc resolutio omnia fere verba accipit in sensu propriissimo, cum contra Judæi improprie dictam stationem, DEI visionem, cutis corrosionem ac vermiculos in textum inferant. Quæ quæso ratio est quod Judæi, cum alias doctrinam de resurrectione mortuorum tam firmiter teneant, plurimisque aliis locis quærant, ex quibus non nisi per prolixam consequen-

tiam exsculpi potest, eam in hoc tam claro loco non investigent? Faciunt hoc odio Salvatoris nostri. Indicia Deitatis Redemptoris hic descripti tam sunt luculenta ut ea obscurare non possint. Vident itaq; si ipsi concedant propriam reviviscentiam ac resurrectionem super pulvere, ipsi necessario quoq; humanitatem esse concedendam, eumq; pro *Ἰανθρῶνα* agnoscendum. Hoc ut evitent, & hoc & cœtera ad alienum significatum detorquent, verbis ipsis interim suæ integritati relictis, quæ quam evidenter & CHRISTI capitis & Jobi fidelis membri resurrectionem exhibeant ex subjecta paraphrasi constare poterit: *Certus sum, quod Redemptor meus, qui animam meam ab aeterna morte liberat, qui pro me apud DEUM intercedit, consanguineus meus, à morte sit revicturus, neq; ut primus homo, reversurus in pulverem, sed, ut secundus, super incineratis corporibus redivivus staturus: Item quod etiam ego, etsi destructus fuero, etsi vermes corroserint hoc ipsum corpus meum, tamen postea ex resuscitata carne mea visurus sum DEUM: quod ego ipse eum sum visurus, idq; in salutem meam, visurus, bisce oculis meis visurus, ut non peregrinum. O quantum desidero tantam gloriam!* Subjicio & germanicam, si forte ea luculentior. Ich bin gewiß das mein Erlöser nach dem Tode wieder aufstehen werde / daß er als der andere unverwesliche Adam über denen zu Staub gewordenen Körpern wieder lebendig dar stehen werde: Auch daß ich / ob ich schon ich zu Staub / zu einem Aschen- und Multhaußen werden muß / ob ich schon diesen meinen Körper denen Würmern zu verzehren dahin geben muß / dennoch darnach aus eben diesen wieder erweckten Fleische GOTT anschauen werde: Daß ich selbst ihn

ihn anschauen werde / und zwar zu mein Heyl / nicht zum Gericht / das ich ihn mit diesen meinen Augen anschauen werde / und zwar als mein Blutsfreund und Verwandten / der nicht fremd sondern mein Fleisch und Blut ist. Ach wie sehnet sich mein Herz nach dieser zukünftigen Herrlichkeit! Juvat autem & parallelismum N. T. subjicere, cum phraseos, tum rei.

ὁὶδα καὶ πέπεισμαι Rom. VIII. 38. ὅτι λύρωήης μου, ὁ ἐκ τῆς σαρκός μου καὶ τῶν ὀστέων μου Eph. V. 30. ἀναζήσει Job. XIV. 19. ὅτι ὁ ἔχατ' ἄνθρωπον 1. Cor. XV. 45. ἐγερεθήσεται Job. II. 22. Πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν Col. I. 18. Καὶ ὅτι καγῶ, μετὰ τὴν ἀνά- λυσίν μου 2. Tim. IV. 5. καὶ τὴν φθοράν μου 2. Cor. XV. 42. μετὰ τῆς γίνεσθαι σηλοβρωλον Jac. V. 2. τὸ φθαρτὸν ἴστο 1. Cor. XV. 13. ἐκ τούτης τῆς σαρκός μου ὄψομαι τὸν Θεόν Matth. V. 8. ὃν ὄψομαι μοὶ εἰς τὸ ἀγαθόν Rom. XIII. 4. ὃν εἰδήσασσι οἱ σφθαλμοί μου Luc. II. 30. ἢ ξένον ἀλλ' ὡς συγγενέα.

Probatum est verba textus Hebræi in proprio significatu suo accepta Resurrectionem carnis evidentissime exhibere: Expensa sunt ad Judæorum glossas, quarum multæ phrasin non parum illustrant: Collata sunt cum litera Novi Testamenti: Quid adhuc habet Cl. Autor quod culpet? an adhuc dicere audeat in textu Hebræo dogma Resurrectionis non esse plenissime traditum? Quod si illud affirmare non audeat, necesse est ut renunciât hypothese de corruptione textus Hebræi & integritate ac authentia versionis Græcæ ac vulgatæ, & Hebræum textum pro incorrupto agnoscat. p. 223. pr.

JOB. XXX. 1. - 10.

Hæc verba tam sunt obscura in Hebræo ut si ita ea protuleret Job, ne ipse quidem sese intellexisset. Quid crederes p. 224. fin.

deret Virum tam sapientem unquam ita locuturum fuisse?
 p. 225. fin. *Multo melius Hieronymus conceptus Jobi expressit in Vulgata, quæ proinde longe præferenda Hebræo textui tam corrupto.*

Resp. Allegat hic Reverendiss. Autor versionem Hebræi textus, quæ maximam partem Ariæ Montani est. Ei opponit Vulgatam, tanquam sibi faciliorem intellectu. Hinc concludit; textum Hebræum esse corruptum, eo quod est intricatus & obscurus. Quæ obsecro hæc argumentandi luxuria est? Duæ versiones conferuntur, altera alteri postponitur tanquam intellectu faciliori: Quid hoc ad Hebræum textum? An de versione Montani quæstio est? Si Montanus in transferendo erravit, an propterea integritatem suam amisit Canon Hebræus? Montanus verbum de verbo expressum reddidit; quid mirum si versio ejus Hebrææ lingvæ experti est obscurior? An insoles & venustas Hebrææ Scripturæ exhauriri potest ab eo qui textum verbatim & κατὰ ῥῶδα transferre instituit? Vulgatus hic magis paraphrasten egit; Hæc est causa quod est planior intellectu. An autem satis feliciter expresserit conceptus mentis Jobææ, hoc vero μέγα λίαν ἀσχημα.

p. 226. pr. *Clarius adhuc est LXX viralis versio, sine qua totus hic locus intelligi nequit. Cum ergo LXX viralis versio hic tantum*
 p. 228. m. *lucis afferat Hebræo textui, quæ non videt quanta sit difformitas inter modernum textum Hebræum, & eum quem manibus suis trèvere LXX, in quo tam bene expressi fuerit Jobi conceptus?*

Resp. Ducimus hinc argumentum: Si Interpretes Græci evidentius exprimunt mentem Jobi atq; modernus textus Hebræus, necesse est ipsos non moderno sed plane alio textu Hebræo fuisse usos. Atqui prius

prius est. Ergo. Resp. I. N. C. Eum in finem fiunt versiones, interpretationes, commentarii, ut explicetur, illustretur, enucleetur textus obscurior. Si ex obscuritate inferenda corruptio est, nulla non erit versio corrupta, maxime vero LXX viralis & Vulgata, cum apertum sit utramq; plurimis in locis esse obscurissimam. Habet & Hebræus textus in locis quibusdam obscuritatem, quancquam non objectivam, quæ est in verbis & phrasi, sed subjectivam, quæ hæret in mente verbum in se perspicuum non intelligentis. Bene hic facit interpres quod sua versione & illustratione obscuritatem tollit. Hoc ubi fecerunt Græci, (fecisse enim nonnunquam indubium est) merito ipsis debemus gratiam. At quis satis sanus ita inferre aude- ret: Græci illustrent sua versione hunc vel illum locum textus Hebræi: Ergo suo tempore ibi non eandem, quæ hodie legitur, sed plane aliam vocem, phrasin, textum offenderunt? 2. Negamus Minorem: Græcos sc. melius expressisse sua versione Jobæos conceptus, quam modernus Hebræus textus exprimit. Hoc manifestum erit ex collatione Hebræi textus cum versione Græca & Vulgata.

Hebr.

1. At nunc illudunt mihi, qui me inferiores sunt etate, quorum Patres tam mihi erant contem- nibiles, ut eos pari haberem loco quo canes gregis mei.

Græca

1. Nunc autem deriserunt me mi- nimi seu vilissimi, nunc reprehen- dunt me vicissim, quorum sperne- bam Patres, quos non putavi dignos qui curarent canes gregum meorum.

Troglodytas intelligit Clarissimus Autor ex v. 6. qui Græcis Pastores dicti. Videtur ipforum opera à ditioribus istius regionis conducta ad servandas pe- cudes,

C

cudes,

cudes, non quidem instar paſtorum, ſed canum. Horum filii adhuc hæſiſſe videntur in familia Jobi ex illo paterno officio. Græci & Vulgata transferunt: *contemſi, ne ponerem.* At in Hebræo textu eſt *וַיִּשְׁלַח יְהוָה* tam viles habui, ut ponerem. Juxta illos legendum fuiffet *וַיִּשְׁלַח* ut 1. Sam. VIII. 7. XV. 26. Describitur hoc genus hominum in ſubſequentibus tanquam alienum a cœtibus honeſtioribus v. 3. 5. 6. Quæ ergo occaſio eſt quod hic acceſſum habeant ad Jobum? Eam ſuggerit lectio Hebræa: evertit & obſcurat Græca & vulgata. Utra ergo præferenda?

- | | |
|---|---|
| 2. Et vero quorſum mihi alias profuiffet opera manuum eorum, ſiquidem in illa gente periit ſenilis prudentia? | 2. Et quidem virtus manuum eorum quid mihi proderat? |
| 3. Qui propter egeſtatem & inopiam deſerti, receptant ſe in loca arida, tenebroſa, vaſta ac ſola: | 3. Peribant ab iis vite neceſſaria; in egeſtate & fame ſteriles. Qui fugiebant ſuper anguſtias & miſeriam loci aridi. |
| 4. Ubi balimo, à ſummitate fruticum ſuccifo, & radice juniperarorum viciffent. | 4. Qui ſuccidebant balima in reſonanti littore; quorum balima erant cibaria: homines inhonorati atq; abjecti, egeſtes omni bono, quæ etiam radices <i>ἰὼν ζύλων</i> goſſypiorum manducabant præ fame magna. |

Negat S. Autor ſe opera hujus gentis in gravioribus negotiis uti potuiſſe, addita ratione quod ipsis periiffet *חָכְמָה* ſenilis prudentia. Hæc vox tantum bis occurrit, hic, & Job. V. 26. Notat ſenium, ex radice arab. *חָכְמָה* corrugatum vultum habuit. Hic circumſtantia ſvadent metonymice vocem accipere pro prudentia ſenili. Innuat homines eſſe natura ſervos, ac propterea inep̄tos ad expediendas res graves. Hinc ordine ſequitur in ipsis 1. egeſtas, 2. neglectus & contemtus ab ingeniis generoſioribus. Hic eſt in *וַיִּשְׁלַח* quæ vox ſolitarium notat, aut, ut Symm.

Symm. vertit *Job. III. 7.* μεμονωμένον. Synecd. singularis positus est pro plurali juxta genium lingvæ Hebr. quæ, cum de tota gente sermo est, modo in singulari modo in plurali numero de ea solet loqui. Amstelod. Die durch gebrech und durch Hunger geeinziget waren. Fastiditi ab honestioribus propter ruditatem & inopiam 4. fugiunt in loca sola & deserta, ubi 5. coguntur pecudum more fruticibus & radicibus vesci. De *balimo* inferius. Hæc optime cohærere cuique apparet. An æque bene verterint Græci, collatio ostendet. Verterunt v. 2. *הלך* συνέλειαν, ac videntur legisse *הלך*. Unde ineptus sensus prodit: *Super ipsis peribat consummatio.* Dn. Autor secutus Symmachi versionem *πάν τὸ πρὸς ζωὴν*, vertit: *peribant ab iis vita necessaria*, correctus à Vulgato, qui transtulit: *vita ipsa putabantur indigni*, accepto *senio* Synecd. pro *vita*. Paupertas gentis versu 3. plene describitur: alia ergo erat in *הלך* significatio inquirenda. Cætera, quæ monenda erant, consulto prætereo.

- | | |
|--|---|
| 5. Quia ex honestis collegiis exagitantur, facto convitio, quod si publicis furibus contingit: | 5. Insurrexerunt super me |
| 6. In fissuris vallium convitari coguntur, in foraminibus terre ac petris. | 6. Quorum domus erant cavernæ petrarum. |
| 7. Et inter frutices ac sub carduis asinino clamore convocati conventus agunt: | 7. In medio locorum resonantium clamabant, qui sub fructibus agrestibus victuabant. |
| 8. Gens amens, ignobilis, digna quæ ex orbe exterminetur. | 8. Insipientium & contemtilium hominum filii: quorum nomen & fama extincta sunt in terra. |

Gentem hanc exosam facit 6. furacitas; Fures sunt & latrones, hinc non tolerantur: Exesse jubentur



tur מן גו è medio; supplem אר בני filiorum hominum: מן קרב עיר è medio civitati. כונב autem dicitur pro כונב sicut super fure. In ינהקי synthefin esse textus circumstantia fatis innuit. Est autem נהקה a finorum Job. VI. 5 non male conveniens in Troglodytas, quos Herodotus magis stridere quam loqui asserit. Longe & hic ab Hebræi textus simplicitate abeunt Græci & Vulgatus, maxime in v. 7. נכאן quod v. 8. extat verbum facti est, sed hic pro jure accipitur, ita fert mos lingvæ.

9. Hujusmodi gentis cantilena
& fabula factus sum:

10. Fastidit me, aversatur me,
nec veretur spasi in faciem meam
conjicere.

9. Nunc autem eorum citara
factus sum, & me fabulam habens.

10. Et abominati sunt me, rece-
dentes procul, nec in faciem meam
pepercerunt spuer.

Hæc collatio satis aperit, quod longe significan-
tius, & ordine longe venustiori Hebræus textus de-
scribat mores gentis Jobo inimicæ, longeque rectius
exprimat conceptus Jobæos, quam Vulgatus pariter
& LXX versio. Expressimus verba semper in præ-
senti, id quod fieri debet, cum præterita & futura com-
miscentur, quod hic fit. Et ut genium Hebræi idio-
matis rectius explicarem, non verbum verbo red-
didimus, sed operam dedimus ut inquisito prius He-
brææ phraseos sensu, verborumque ac commatum inter
se connexionem, Jobum pura lingua latina loquentem
introduceremus. Hoc nisi fit, manet Hebræus textus
subobscurus versionem ejus etiam si accuratissime con-
fectam legenti. Puto jam Cl. Autorem agniturum
textum Hebræum nihil hic habere obscuritatis, cor-
ruptelæ autem ne speciem quidem.

*At non potuisset intelligi quod S. Scriptor hic Troglodytas
descri-*

describeret, nisi LXX id indicassent v. 6. QVORUM DOMUS
 ERANT ΤΡΩΓΛΑΙ ΠΕΤΡΩΝ : neque quis sensus esset, v. 4. p. 227. fin.
 vocis מַחְלוֹ & quanam intelligeretur radix per מַחְלוֹ שְׁוֵוֹשִׁי
 nisi illam vocem ἀλιμα, hanc RADICES τῶν ἑύλων GOSST.
 PIORUM vertissent. p. 228. pr. med.

Resp. 1. Pono non potuisse intelligi : quid inde?
 An sequitur textum esse corruptum, aliasque olim
 hic extitisse voces? Hoc unum sequitur voces eas-
 dem fuisse parum perspicuas legenti, necessariis admi-
 niculis destituto. 2. Nego non potuisse intelligi.
 Extant in versu 6. tres voces sese invicem interpre-
 tantes, 1. עוֹר. Hæc notat מְקוֹם שִׁפְחוֹר אִישׁ לְרֵדָתוֹ
 talem locum in quem homo horret descendere. Ita AbenEsra.
 Amstælod. Die Spalten der Thäler. Gerl. הַנְּקִיטָה שֶׁעַל
 הַמְּבֻכָּוֹת נֶחֱרַץ סְבִיבוֹתָיו specu quod efficit vallis circumcirca. 2. חוֹרֵי
 עַפְרָה Gerl. מַחְלוֹת עַפְרָה cavernæ pulveris. R. Sal. הַנְּקִיטָה
 הַסְּלֵעִים spelunca petrarum. Amstælod. Die Föcher der
 Erden. 3. חַיִּים כִּיפִים Gerl. הַנְּקִיטָה הַסְּלֵעִים fissura
 rupium. Die Föcher der Felsen. Quid si una harum
 vocum est obscurior, altera certe sua luce obscuritatem
 tollit. Quid quæso opus hic est recurrere ad LXX-
 viralem translationem? Quid si adhibitio vocis
 τρωγλαι facit ut hic Troglodytæ intelligantur, quid
 dicendum de reliquis Scripturæ locis, in quibus חַיִּים
 τρωγλαι redditur? An & in illis Troglodytæ erunt
 intelligendi? Annon æque facile lectori de Troglo-
 dytis poterat in mentem venire, si Græci pro τρωγλαι
 posuissent ῥυμαλαι? Certe ad intelligendum verum
 Subjectum hujus loci nihil erat opus indicio Græcæ
 versionis, præsertim cæteris textus circumstantiis rite
 expensis. Dicitur gens hic descripta victitare מַחְלוֹ.



Quid hoc est verbi? An plane non intelligibile sine
indicio Græcorum? ἀλιμον esse ex Bocharto asserit Cl.
Autor, apud quem Abenbitar ita ex Galeno descri-
bit, quod sit *planta quæ abundat in regione Cilicia, cuius
summitates comeduntur cum sunt recentes.* Hieroz. part. 1.
f. 875. l. 20. A falsedine nomen gerit in Græco pari-
ter ac Hebræo idiomate, nam ἀλιμῶν est ex ἄλις *sal*,
חלם ex חלם *sal*. Conveniunt ergo in falsedine quam
ipsi etiam Rabbini assignant, quamquam in eo errent
quod putant esse herbam. Amst. *Salziger Kräuter.*
Ut autem indubitato intelligam qualis cibus sit חלם
non statim mihi consulenda est Græca versio, sed di-
spiciendum annon quædam ad descriptionem ejus
pertinentia legantur in textu Hebræo. Hic certe de-
terminatur hic victus à modo nascendi: dicitur חלם
על עצי *balimus qui est super fruticeto.* Nempe innuitur
gentem hanc non vesci tota illa planta quæ dicitur
ἀλιμῶν, sed tenerioribus ejus ramis, qui sunt in sum-
mitate fruticis. Hanc tam necessariam circumstan-
tiam inhoneste corruptit Græca versio, dum transfert:
qui succidebant balima in resonanti littore. Neque enim tantum
in maritimis locis crescere hanc plantam, sed & Ba-
bylone & alibi, ostendit Bochartus *loc. cit. fol. 877. pr.*
Quia ergo cum ex diligentiori inspectione textus Ori-
ginalis, tum collatione aliorum autorum ratio hujus
victus sufficienter describi potest, non video quid hic
tantopere debeamus LXX Interpretibus. Jo. Bohe-
mus Aubanus de Rit. Gent. Troglodytis adjungit
Ilophagos & Rizophagos. Forte utriusque in hoc versu 4.
tanguntur. Ilophagi ipsi sunt p. 60. qui arbores ascendunt,
ac teneras ramorum summitates auferunt: tantam ex conti-

novo usu ramos ascendendi peritiam habentes, ut, quod incredibile videtur, de arbore in arborem velut aves resiliant, ascendantque tenues absque periculo ramos, macilentia levitateque corporis nixi: Quod si quando pedes labantur, manibus ramis comprehensis sese à casu peropportune vindicant: quod si forte deciderint, nulla in re propter corporis levitatem cadunt: ita ramis tenerioribus dente exesit ventrem farciunt. Ita eos, quorum paulo ante animi levitas describebatur, hic Autor etiam corporis levitatem fere incredibilem habere testatur. Sed & Rizophagos considerabimus. Dicuntur edere רשית רמון , quod Græci reddunt radices $\tau\acute{\omega}\nu \xi\acute{\omicron}\lambda\omega\nu$ gossypiorum. Judæi vertunt radices juniperorum. Cl. Autor intendit veram & indubitatam esse versionem Græcorum. Probat quidem ex Plinii Lib. XIX. 1. Gossypia in Arabia nasci, sed id non probat, quod radices Gossypiorum comedantur à Troglodytis. Fructus hujus arboris est nux barbata, ex cujus interiore bombyce lanugo netur. Lina inde facta xylina dicuntur. Nec ulla sunt iis candore mollitiaque preferenda. Ita Plinius l. c. Non videtur verisimile, tam pretiosi fructicis radices in escam permitti genti tam vili, & quidem præ fame magna, quod addunt Græci. Supra laudato Autori p. 59. Rizophagi sunt, qui radices arundinum, quas ex propinquis locis effodiunt, magna cura lavantes barbari lapidibus terunt, quoad molles factæ cohereant: deinde placentas ad modum lateris, quantum manus capit, factas atque ad Solem decoctas mandunt. Quem solum cibum ipsi per omnem vitam suavem atque affatim habent, eo quod pacem continuam servant. Sed satis de hoc loco, vel etiam nimium multa. Priusquam relicto Jobo ad alium locum progrediamur, visum est quædam addere ad dictum Jobi præcedens.

cedens. Versum 27. ita transtulimus: *Quem ego | vi-
debo mihi || & oculi mei videbunt | & non peregrinum |||.*
Communiter comma tertium vertitur & non peregrinus,
non alius, non alienus. Ita Græci, Chaldæus, Vulgata,
Lutherus, Munsterus, Pagninus, Tremellius, Versio
Jud. Germ. Montanus, Schmidius. Subjective omnes
accipiunt in oppositione ad præcedens, ego, oculi mei.
Construunt ergo ita: *Ego videbo, & non alius*, hoc sensu:
in proprio hoc corpore, non in alio novo visurus sum CHRISTUM.
Quæ quidem explicatio cum analogia fidei amice con-
spirat. Sed an eandem æque positus & constructio
verborum patiat dubium est. Comma tertium el-
lipticum est: Verbum aliquod ex præcedentibus ad
illius supplementum repetendum. Illud ergo aut
אני אראה videbo, erit, aut *אני אראו* videbunt. Ad prius refert
Tremellius. *Idem qui sum, & non alienus, visurus sum
mibi.* Durum sane hyperbaton! Qui ad posterius re-
ferunt, non integrum verbum, *אני אראו* videbunt, repetunt,
sed è plurali in singularem mutatum: *Oculi mei vide-
bunt, & non videbit alius.* Cum hoc durum est, tum
illud, quod *אני אראה* alienus de solo corpore accipiunt, iudice
B. D. Schmidio in h.l. Ex his causis malumus *אני אראו* obje-
ctive vertere in accusativo non in nominativo, ut ita ex
præcedente commate repetatur *אני אראו* videbunt, hoc sensu:
Oculi mei videbunt, at non videbunt ut alienum. Alienus &
extraneus est CHRISTUS infidelibus; Atq; hi ipsum vi-
debunt ut alienum, ita impios ut extraneos compellan-
tem, *non novi vos.* Non est extraneus piis. Ji ipsum vide-
bunt ut amicum, ut *ὁικοδοσοῦσθε*, ita suos amicos & do-
mesticos affaturum: *Venite benedicti &c.* Hic con-
ceptus affectus cum conceptu *ὁμοστασίας*
potest conjungi.

Es. LVII. 1. 2.

Textus genuinus.

1. Videte quomodo justus perit,
& nemo suscipit corde; & viri ju-
sti tolluntur, & nemo considerat;
à facie enim iniquitatis sublatus
est justus.

2. Et erit in pace sepultura
ejus &c.

Textus spurius Hebr.

1. Justus perit & non est qui
ponat in corde; & viri misericor-
die colliguntur, & non est qui in-
telligat; quia à facie mali colle-
gitur justus.

2. Ingreditur pacem, requi-
escent in cubilibus suis &c.

Textus hic loquitur de CHRISTI morte & sepultura.
Probat hoc autoritas Justini, Tertulliani, Cypriani, P. 229. pr.
Hieronymi, Procopii Gazai, Cyrilli Alex. Theodoretii
&c. Probat mos Ecclesie, quæ pridie Paschatos horis ma-
tutinis hæc verba in honorem sepulchri CHRISTI decantat. Con-
tra Hebraeus textus nihil habet hic de morte & sepultura CHRI-
STI. Ergo aut Græca lectio est genuina, aut concedendum tot P. 230. med
Patres, imo totam Ecclesiam errasse. Quia autem posterius
aperte est falsum, evidens est Hebræum textum hic esse cor-
ruptum.

Resp. 1. Posterius non est falsum, quia hæc quæstio
non concernit fundamentum fidei & salutis, sed fidei
circumstantiam. Est de sensu alicujus dicti biblici:
de cujus genuino quæritur subjecto. Circa ejusmodi
quæstionem non tantum particularis Ecclesia falli po-
test, qualis est Romana, sed & Universalis: Multo
magis Patres: non enim dono Θεοπνευσίας instructi sunt.
Paucos tantum Græcos & Latinos Patres nobis no-
minat Cl. Autor. Quis credat reliquos Patres omnes
ita sensisse, quorum scripta ad manus nostras non
pervenerunt, præcipue qui Persicas Assyriacas & alias
in Oriente rexere Ecclesias? Si unum comma nobis
allegasset Cl. Autor ex Pauli aut alius Apostoli scriptis,

A

quod

quod dictum hoc de sepultura CHRISTI exponeret, longe illud præferremus numerosis Patrum suffragiis. Scriptorum N. T. ductum in explicatione V. T. tutissime sequimur, cum sint θεοῶν νεύσοι. Patrum autoritas magni quidem facienda, sed non tamen est irrefragabilis. 2. Ad indolem idiotismi Hebræi pertinet, cum de multis sermo est, modo in singulari de iis loqui, modo in plurali, ubi singularis collective, pluralis distributive capiendus. Hic idiotismus lingvæ etiam hoc in dicto elucet. Miscetur in textu singularis cum plurali, primo, *justus perit*: deinde *viri gratia colliguntur*: porro, *intrat in pacem*, iterum *requiescunt in cubilibus suis*. Versio Jud. Germanica distributive accipit: *Er wird in das Friede kommen / sie werden ruhen auff ihre Blager / ein jeglicher der gleich vor sich hingangen ist*. Chaldæus in paraphrasi ubiq; servat pluralem. Opponuntur justis morientibus injusti speculatores *Cap. LVI. 10.* qui ita depinguntur *C. LVII.* ut facile appareat eos ad tempora Esaiæ pertinere. Expendantur *v. 5. 6. 7. 8. &c.* in quibus ipsis certa idolatriæ species tribuitur, quæ non cadit in tempora Phariseorum. Ut ergo hi scandalosi populi seductores Prophetæ sunt ὁμόχρονοι, ita & qui ipsis opponuntur Sancti & Justo morientes. Opposita enim sunt simul. 3. Pono de CHRISTO agere textum, non tamen ita comparatus est ut constringat Judæos, siquidem nullum est in eo speciale MESSIÆ τεκμήριον, per quod ab aliis justis distingvi possit. Nihil hic de θεανθρωποῦτητι, nihil de dominio universalis. Patens ergo hic semper manet Judæis janua, qua elabi possint. Dum autem eam habent, nihil ipsis est causæ
 corrum-

corrumpendi textum. 5. Mos cantandi hanc pericopam pridie festi paschatos in honorem sepulturæ CHRISTI nihil aliud evincit, quam quod verba pericopæ ad CHRISTUM & Apostolos ejus accommodari possint. Hoc respectu decantatur etiam ad sepulturas quorumcunque fidelium. Et nostræ Ecclesiæ hunc servant morem, ut cantent hæc verba in memoria passionis mortis & sepulturæ CHRISTI. At hoc omne fit non nisi in sensu accommodato. Hic autem quæritur an in sensu literali & proxime agat de CHRISTI sepultura. Hoc negandum. Quod si hic tam manifestum est vaticinium de sepultura CHRISTI, quare in Ecclesiis Pontificiis cantatur: *Et erit in pace memoria ejus*, & non uti primitus in Hebræo lectum fuisse prætenditur, *ἔσαι ἐν εἰρήνῃ ἡ ταφὴ αὐτοῦ*, ut transtulere LXX? Annon hac vulgatæ versione mire obscuratur vaticinium?

Fateor hoc solo discrepare Vulgatam à LXX virali. At sci p. 229. 100. endum est, quod uti in Græco μνήμη interdum ponitur pro μνημα, ita & MEMORIA & MONUMENTUM in latino synonyma sint.

Resp. Inane effugium! Quæritur an *memoria* idem significet quod *ταφὴ sepultura*, non an *memoria & monumentum* sint synonyma. Hæc interdum æquipollere agnoscimus. At quomodo quæso hæc coherent: Monumentum significat sepulchrum: Memoria idem est quod monumentum, E. Memoria significat sepulchrum? Annon hic Major fallit? Annon monumentum latius patet ac sepulchrum, cum omne quidem sepulchrum sit monumentum, at non contra? Cujus quæso Græci autoritate probabitur

& *μνήμη* prorsus esse synonyma? LXX certe pro Synonymis non habent. Nec latino ori Memoria & Sepulchrum sunt voces synonymæ. Esto memoriam pro sepulchro poni, non nisi metonymice ponitur; quis autem credat Vulgatum interpretem tropum adhibere voluisse in transferenda voce Græca, præsertim cum ea non sit *μνήμη* sed *λαφὴ*? Boni certe interpretis non fecisset officium; quin potius obscurasset vocem usu tritissimam, lectorique voce *memoria* nihil minus ingessisset, quam memoriam sepulturæ. Mirum ergo quod hæc verba & hanc ita cantandi consuetudinem ecclesiasticam allegat pro sua sententia Autor Reverendissimus, in quibus tamen nulla fit sepulturæ mentio. Ipsa Romana Ecclesia non eo consilio verba hæc Esaiæ in honorem sepulturæ CHRISTI videtur decantare, quod certo persuasa est, agi ibi literaliter de morte & sepultura CHRISTI. Si enim id persuasa esset, annon ea potius juxta lectionem modernæ Vulgatæ decantaret, quæ habet: *Justus perit &c. à facie malitia collectus est justus. Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione sua?* Hic fit ad minimum sepulchri mentio in voce *cubilis*, Ipse Clariss. Autor: *Ce qui peut fort bien s'entendre de JESUS CHRIST qui à esté dans le sepulchre, comme dans un lieu de repos, en attendant sa resurrection glorieuse.* Quamquam nec hanc lectionem omnes de sepulchro exponunt: nam Lyrae glossa est: *requiescet in cubili suo i. e. in gradu glorie sibi preparato.* Quid ergo in hoc Ecclesiæ ritu est præsidii? 2. Nego Latinum Interpretum hic vocem *memoria* usurpasse pro sepulchro. Sensus respexit, non vocem expressit. Ut impiis DEUS interminatur se memoriam

p. 230. fin.

riam ipsorum deleturum Ps. IX. 7. XXXIV. 17. CIX. 15.
Ita piorum ac justorum memoriam conservat Prov. X.
7. Memoria justii in benedictione, ac nomen impiorum putre-
scet. Hinc tritum illud Judæorum votum לְכַרְכַּה זְכוּתוֹ
cujus memoria sit in benedictione! Huc respexisse Vul-
gatum puto, nec quidquam sub voce memoriæ de
sepulcho cogitasse.

Videtur jam tempore Hieronymi hæc corrupta lectio, RE-
QUIESCANT IN CUBILIBUS SUIS, in Hebræis Bibliis ex-
stitisse. Id enim colligi potest ex Commentariis Hieronymi. p. 230. fin.
Qui interim in versione sua singularem exhibet, addens
QUOD AUTEM JUXTA HEBRAICUM DICITUR; VE-
NIAT PAX, REQUIESCAT IN CUBILI SUO. &c. Si
ita est, post tempora Hieronymi corruptio est facta.

Resp. Hæc pugnant. Si Hieronymus in suo He-
bræo codice pluralem formam legit, ut apparet ex
Commentariis ejus, non potest scribere, juxta He-
braicum legi in singulari. Aut si singularem nume-
rum in Hebræo esse asserit, non potest asserere in
commentariis, pluralem esse in Hebræo. Utrum
horum amplectemur? Enimvero Hieronymus in
allata nota nil quidquam vel de singulari vel de plu-
rali memorat, sed simpliciter dicit, juxta Hebraicum
dicitur: veniat pax, requiescat in cubili suo. Emendandam
susceperat Latinam versionem ad textum Hebræum;
Cum itaque in ea deprehenderet hæc verba: Et erit
in pace memoria ejus, contulit ea ad Hebræum codicem,
qui erat in Origenis Hexaplis, & monet in Hebræo
haberi vocabulum non memoriam significans, sed cubile.
Opponit ergo hanc notam veteri versioni Latinæ,
non plurali Hebræi codicis. Ac etsi pluralem offen-
debat

debat in Hebræo, tamen religio ipsi fuit eum in versionem Latinam tam receptam inferre, ne adversariis suis novam obtrectandi occasionem subministraret, omnia Hieronymum novare & immutare velle clamantibus. Proinde cum singularem offenderet in versione Græca & Latina, censuit eum quoque relinquendum esse in emendata, ut ita utrique & præsertim Græcæ obsecundaret, imprimis cum singularis numerus inservire videretur firmandæ sententiæ de morte & sepultura CHRISTI, cui & ipse addictus erat, uti patet ex verbis ejus à Cl. Autore adductis:

p. 229. m. Porro quod in Septuaginta legitur: à facie malitiæ ablatuſ est justus, erit in pace sepultura ejus; omnia ad CHRISTUM referuntur, absq. commixtione persone Apostolorum, cujus sepultura in pace est &c. Invenit ergo Hieronymus in Hebræo pluralem **שכבותיו** in cubilibus suis, quem pro singulari posuisse Judæos nulla probabili ratione evinci potest.

Es. LIII. 8.

Vera lectio.

Generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussit ipsum.

Falsa & corrupta H.

Generationem ejus quis enarrabit? quoniam abscissus est de terra viventium: propter prævaricationem populi mei plaga eis, seu, percussit eos.

p. 231. pr. **E**st hac inexcusabilis falsatio. Pro singulari posuerunt Judæi pluralem **וְלִי לְאִלְלִים**, ne necesse haberent hanc tam evidenter de passione & morte Messie prophetiam de Messia exponere, sed ut eam de sua gente interpretari commode possent. Corruptam hanc lectionem LAMO amplexi Theodotion & Symmachus verterunt, ille ἠψατο αὐτοῖς TETIGIT EOS: hic

ωληγη

πληγὴ ἀπολοῖς *PLAGA ILLIS: Amplexus Hieronymus, ita vertens: PROPTER SCELUS POPULI MEI PERCUS- SIT EOS. At Ecclesia Judaicum hic errorem animadvertens non prius voluit hanc ab Hieronymo emendatam versionem in publicos usus emittere, quam errorem correxisset, scripsissetq;* p. 231. fin.
PERCUSSI EUM.

Resp. Facta ergo corruptio à Judæis est ad ever- tendum genuinum vaticinii, subjectum. Sed quando quæso facta est? Jam ante Theodotionis tempora. Er- go jam seculo II. facta est: nam Theodotion suam ver- sionem concinnavit tempore Commodi Imperatoris. Qui ergo fit quod post Theodotionis tempora hoc vaticinium à Judæis de Messia fuit explicatum, idq; non privatis tantum scriptis sed & publicis? Scribit Cl. Autor: *Ce sentiment unanime des Juifs anciens & mo-* p. 234. m.
dernes, qui ont tout conspiré à mettre un pluriel: Hæc senten- tia unanimes est Judæorum, tam veterum, quam recentiorum, qui omnes conspirarunt hoc loco pluralem numerum ponere. Si hoc: quid ergo scribit R. Alschech in Es. fol. 47. col. 4.
 ר"ל פה אחר קיומו וקבלו כי ער מלך המשיח יבין
 ואחריהם נמשוך *Rabbi nostri uno ore confirmarunt & per traditionem à Majoribus acceperunt, de Rege Messia hoc vati- cinium agere, quos etiam nos sequimur? Hic Rabbi aperte ait expositionem vaticinii hujus de Messia esse παρὰ παράδοσον, quam veteres pariter ac recentiores unan- imi consensu confirmant. Contra Cl. Dn. Autor audacter asserit, omnes Judæos veteres pariter ac re- centiores literam vaticinii hujus malitiose corrupisse, ne necesse haberent textum de Messia intelligere. Quam inique hic Judæis crimen corruptionis impin- gitur? Chaldæus De Messia exponit JONATHAN: Confir-*

Confirmatur hæc interpretatio in *SOHAR* in *Exod.* fol. 95. col. 3. in *TALMUD* *Sanh.* cap. XI. fol. 98. col. 2. in *MEDRASH RUTH* fol. 34. col. 3. in *TANCHUMA* in fine *Paraschæ* *veelle Toledot* fol. 14. col. 4. in *JALKUTH THORA* in *Es. LIII.* f. 53. col. 3. 4. *LX.* fol. 56. col. 3. 4. ubi pluribus agitur de translatione peccati populi in Messiam: in *JALKUTH CHADASCH* fol. 154. col. 4. Scripta hæc pleraque confecta sunt post *Theodotionis* tempora, qui jam legit וְלִי plurale in Hebræo: & nihilominus textum de uno individuo Messia interpretantur, quia fronte ergo dici potest Judæos ante *Theodotionis* tempora spurium וְלִי illis textui Hebræo immisisse eo consilio, ut Messiam è textu excluderent? Habet וְלִי non tantum pluralis, sed & singularis numeri significatum; Quid ergo Judæos juvisset hæc corruptio, si hæc vocula nihilominus in singulari potuisset exponi?

Hoc unum est quod cum quadam probabilitatis specie re-
geritur ab Hebræi textus defensoribus, quod וְלִי ILLIS quandoq;
p. 232. fin. pro וְ לִי ILLI positum reperiatur, quam sententiam etiam auto-
p. 234. pr. ritate Grammatica Kimchiana firmare annituntur. At enim-
med. vero hoc aperte contra regulam Grammaticam est: Ordinarie
וְלִי idem est quod לְהֵם ILLIS: Omnes Judæi hoc loco plura-
litas sensum voci dant: ipse Kimchi Grammaticorum Prin-
ceps, qui ex hoc loco disputat contra Christianos, SCRIPTUM
p. 234. pr. EST, inquit, FUIT PLAGA ILLIS, LAMO; DICERE
DEBUISSET LO, EI; NAM LAMO IDEM VALET
QUOD LAHEM, ILLIS, AC PLURALIS NUMERI EST.
Hoc aperte dicunt Judæi. Contra Christiani quidam Hebræi
p. 232. pr. textus hyperassista singularem vocute sensum inesse magna vi
asseverant. Hoccine est Judæos criminis falsati textus sine
omni

omni ratione absolvere? Quis non exhorresceret ad inceptum tam audax?

Resp. At Judæis præter omnem rationem crimen corrupti textus imputare, hoc vero monstri simile est. Præposterus amor Græcæ Vulgatæque versionis quosdam eo adigit. At inceptio amentium est haud amantium. Nimis iterum à scopo dilabitur Dn. Dissentiens. Non quæritur quomodo Judæi particulam *וְ* hoc in vaticinio interpretentur; Nam quis miretur Judæos in ea explicanda hic suæ servare hypothesi? Sed hoc quæritur, quemnam sensum gerere possit ex conditione naturæ suæ, si seorsim & in se consideretur, pluralemne tantum, an præterea etiam singularem. Hic consulamus Hebræos, *qui ont, pour ainsi dire, le clef de la Langue Hebraïque: quo-* p. 233. pr.
rum iudicio per consequens standum est. Audiamus Kimchium, Principem Grammaticorum. Ejus de sensu ac usu suffixi *וְ* hæc est præceptio in Sepher Michlol p. 266. col. 1. lin. 6. *וְ* כנוי היחוד הנסתר כו' המם והווי יש בו סימן רבים וסימן יחוד כי המם סימן הרבים הנסתרים והווי סימן תיחוד הנסתר לפיכך יבא על הרבים ועל היחוד. ויתחברו שניהם בכנוי הרבים כי ידברו *וְ* עליהם בכלל ובפרט וכן ער היחוד פעמים *וְ* *וְ* *וְ* ita quoque duplex sensus pluralis & singularis. *וְ* notat suffixum pluralis num. tertie persone, *וְ* notat suffixum singularis num. tertie persone. Proinde æque singularem ac pluralem usum habet. Pluralibus affigitur in sensu pariter colectivo ac distributivo. Interdum singularem tantum notat. Hanc regulam non temere ponit Kimchi, sed fundat eam inductione exemplorum, Job. XX. 23. legi-

B

tur

tur **וְיָחַד** in sensu singulari. Versio Amstælod. transfert: Er wird **וְיָחַד** auf ihm regnen durch sein Streifung. Eadem vox occurrit c. XXII. 2. ubi Amst. ita: Meirt **וְיָחַד** vor sich selbst ist der Verständige nützlich. Haufit hoc ex Michl. J. ubi ad utrumque exemplum nota hæc additur **כְּבִי הַיְחָד הַנִּסְתָּר** est suffixum singularis numeri tertie personæ, idq̄ probatur allegata Regula Kimchiana. Sensum singularem utroque loco amplectuntur Græci, Vulgata, Chaldæus, Syrus, Arabs, nisi quod in loco posteriore Chaldæus dissentiat. Ps. XI. 7. occurrit **פָּנָיו**. Kimchius ait esse pro **פָּנָיו** facies ejus uti **עָלָיו** pro **עָלָיו** super ipso. Amstæ. sein Antlitz thut ansehen den Rechtfertigen. Ne autem dicat Vir Reverendiss. **וְיָחַד** in **עָלָיו** quidem gerere sensum singularem: at non de *aleimo*, sed de *lamo* hic quæri; probandum quoque nobis est, quod **וְיָחַד** in **לָמוֹ** singularis sensus sit. Es. XLIV. 15. legitur **עָשָׂהוּ פֶסֶל וַיִּסְבֹּד לָמוֹ** fecit ex eo simulacrum, & incurvatus est *lamo* ei. Hic Kimchi addit **לָמוֹ כְּמוֹ לָמוֹ** *LAMO* positum est pro *LO* illi. Amstæ. Er macht ein geschnitten Bild davon / und kniet vor demselben nieder. Chald. **הִתְכַּוָּה צִלְמָא וּבְעֵא מִנְה** fundit ex eo simulacrum & deprecatur illud. Probant singularem sensum hic præterea Græci, Vulgatus, Syrus. Abunde ex his probatur, singularem significatum non adversari naturæ voculæ *Lamo*, neq̄ ulli regulæ grammaticæ. Cum itaque certissimum sit, quod vocula *lamo* non tantum pluralem sed & singularem sensum sustineat, porro quæritur uter sensus ad locum Prophetæ sit accommodatior. Hic Judæos ambabus accipere significatum pluralem quis miretur? Sed an obsecro hic ulterius sunt Judæi consulendi, quos manifestum

nifestum est hoc tam illustre vaticinium cœco impetu contra naturam textus Majorumque suorum monita de Israële interpretari, non studio veritatis, sed ut vim veritatis nimis manifestæ, & arcta illa vincula, quæ conscientis ipsorum ex hoc capite nectuntur, quodammodo declinent: quos, cum semel instituissem textum de Israële explicare, an probabile est pluralem sensum voculæ *lamo*, quem præter singularem gerit, non avide arripere ac in suum usum hic transferre voluisse, præcipue cum nihil præterea in tota hac pericopæ inveniant, quod subjectum plurale possit stabilire? Quis furor est tam desperatos Interpretes adire & consulere quem sensum h. l. habeat vocula *lamo*? Septuaginta duæ aliæ in hoc capite occurrunt singularis numeri voces, quæ omnes jubent textum de uno individuo accipere. Iis unum *lamo* opponere, ac ope unius voculæ genuinum textus Subjectum perfundare conari quanta, non dicam dementia, sed insania est? Enimvero cum ex iis quæ dicta hæctenus sunt, constet, quam parum præsidii sit Judæis in hac vocula *lamo*, an credibile est eos textui illam inferre voluisse sine omni emolumenti spe & cum præsentissimo famæ suæ periculo? Quod enim, si pluralis sensus ipsi relinqvatur, tamen in detrimentum Judæorum explicari possit, docet Seb. Schmidius, in h. l. qui putat ad *עַלְמָי* ex præcedenti *וְ* revocari debere h. s. *מִפְּשָׁעֵי מִלְכָּמָה עָלְמָי* *excisus est ex terra viventium: propter prevaricationem populi mei, propter pœnam quæ ipsis ferenda erat.* Aliam suggerit expositionem Coccejus in Cap. VIII. ep. Hebr. §. 16. nempe hanc: *propter prevaricationem populi mei est ipsis, sc. populo, plaga.* Quapropter si quidquam hic falsandi

qvitates populi mei hic ad mortem ductus est, nisi intelligamus
 de qvopiam alio, qvam de DEI populo, qvis autem is est nisi
 JESUS CHRISTUS, cujus livore sanati sumus qvotqvot in
 eum credidimus? Argumentum qvod ex his Origenis
 verbis conficit Cl. Autor limitandum est: Si Ori-
 genes his Græcæ versionis verbis maxime constrin-
 xit Judæos, seqvitur eos in Hebræo extare vel qvoad
 literam vel qvoad sensum. Ita concedimus totum.
 Quid qvæso obtinuissent Judæi contra Origenem, si
 respondissent in Hebræo non extare ista qvoad literã?
 An acqvievisset Origenes in hoc responso, qvi possedit
 p. 235. m. si parfaitement la langue Hebraïque & la science des Ecritures?
 Imo si ad tam puerile responsum obmutuisset, omnem
 scientiæ suæ famam perdidisset. Quid ergo fecit?
 Ostendit præfractæ genti sensum horum verborum per
 totum caput dominari: Tale in textu subjectum
 describi, qvodbajulet peccata populi, qvod contem-
 ptum v. 3. plaga affectum, percussum, afflictum, v. 4.
 contritum, contusum, castigatum, livore oppletum,
 v. 5. exactum, ad mortem ductum v. 7. coangusta-
 tum, condemnatum, verberatum, v. 8. sacrificium
 factum v. 10. morti objectum, inter peccatores rela-
 tum v. 12. non propter propria peccata, qvæ aperte
 ab ipso removentur v. 9. sed propter nostras præva-
 ricationes v. 4. 5. 6. 8. 11. 12. qvas DEUS in ipsum in-
 currere fecit v. 6. In hoc nervum argumenti posuit
 S. Pater: Hic ipsi non poterant elabi Judæi, neqve
 nunc possunt: Hoc sensu scribit Tertullianus Lib. con-
 tra Jud. Mortem CHRISTI & passionem & sepulturam una
 voce volo ostendere: à facinoribus, inqvit, populi mei perductus
 est ad mortem. In hoc ergo breve comma tanqvam
 in

in compendium totum caput retulit Origenes. Si sola illa verba ἤχη eis θάνατον, aut juxta Vulgatam *percussit eum*, urfisset, nihil effecisset. Respondissent Judæi: Imo nos ducimur ad mortem, nos percutimur &c. Ergo nos sumus verum subjectum vaticinii. In his ergo verbis ἀπὸ τῶν ἀμαρτιῶν τῆς λαῆς μὲς præcipuum robur collocavit, cui ferrea Judæorum pervicacia necesse habuit cedere. 5. Quod censet Cl. Autor olim lectum fuisse *NAHUG LAMOTH, DUCTUS EST AD MORTEM*, inanis conjectura est. Qvis barbaram illam vocem נַחֻץ *lamoth* toleraret in textu tam terfo, quæ si ad mortem notare debet, punctanda est נַחֻץ *lammaver*: si ad moriendum נַחֻץ *lamuth*? Miror Cl. Virum hic sibi tantam licentiam sumere, qui paulo ante in vocula LAMO tam erat superstitiosus.

GEN. XVII. 14.

Text. verus.

Et circumcisu masculus, cujus circumcisa non fuerit caro præputii octavo die ἡμέρα τῆ ὀγδόη, exterminabitur anima illa de genere suo, quia fœdus meum dissipavit.

Text. Hebr. corruptus.

Et præputiatus masculus, cum non circumcidetur caro præputii ejus, & excidetur anima illa de populis suis, quia fœdus meum fregit.

VERBA OCTAVO DIE præter LXX. Samaritani, Philo, Try- p. 237. pr. pbo apud Justinum, Augustinus & plures alii Patres legunt. Nimis hæc dura Judæis visa lex est, utpote quæ promiscue quos- p. 241. m. vis infantes octavo die circumcidi jubebat, proinde ut hanc circumcissionis legem emollirent, textum circumciderunt, duog, hæc p. 242. pr. verba quæ tantam præcepto difficultatem addebant, plurimisque exprobrationibus occasionem sugerebant, sustulerunt.

Resp. i. Eadem verba in moderna vulgata non extant. Si itaque ad substantiam textus pertinent, ipsa

ipsa Vulgata versio manca hic est. Si manca est, qua fronte Patres Tridentini eam prohibent in publicis disputationibus quovis prætextu rejicere, ? 2. Qui eam lectionem allegant, secuti sunt versionem græcam : quid inde ? An propterea vera & genuina est lectio quam LXX hic exhibent ? Philo Alexandrinus allegat. : Ergo eadem invenit in Græca versione : Græcum enim codicem, utpote Græco sermoni innutritus, allegavit. Si Hebræum allegasset, aliam lectionem exhibuisset. Samaritani verba hæc legunt. Eos secuti septuaginta, ut in aliis, ita quoque in hoc textu Samaritanæ versionis nævis sese affines fecere. Confer sodes Hottingerum qui prolixè monstrat Græcos non Hebræo, sed Samaritano codice fuisse usos, *Thef. Phil. p. 294.* 3. Verba hæc non leguntur in Hebræis Bibliis. Audacter hinc infert Cl. Autor, ergo sunt ex iis sublata destinato Judæorum consilio. Quæ ergo causa ipsos ad hanc falsationem adegit ?

p. 242. p. 7.

Prima est legis rigor : jubentur masculi quovis octavo die circumcidi nulla casus necessitatis habitatione, idque sub pœna excidii. Obsecro Vir Clarissime an tam rigida institutio cum DEI misericordia potest consistere, ? Misericordiæ DEI tribuendum, quod teneros infantes non primo statim nativitatis die circumcidi jussit : in octavum diem actum circumcisionis distulit, donec, qui ex partu imbecilliores erant, vires paululum recuperassent. Quod si DEUS præciperet infantes morbo correptos die octavo nulla admessa dispensatione circumcidere, annon hoc idem foret ac si ipsos interficere juberet ? Annon talis rigor directe adversaretur benignitati DEI ? Aperte Origines

genes in hæc verba scribit : *Oportebat igitur, si hæc juxta pag. 238. literam plane edicebantur, patribus mandari ut filios interficerent, vel iis à quibus infantes alebantur. Saxum esse oportet, qui tantum rigorem in DEO velit ponere. Quo loco ergo habebimus Cl. Autoris verba* : *Toutes les p. 241. m. Loix qui ont esté commandées aux Juifs, il n'y en a pas une qui leur ait fait tant de peine que celle de circoncire leur enfans*
LE HUITIEME JOUR INDISPENSABLEMENT. *Cependant ils se croyoient tellement obligés à l'observance de ce commandement, que de le négliger c'étoit s'exposer, ou eux ou leurs enfans, à la colere de Dieu, & même à la mort.* Inferimus ita : Sacramentum circumcisionis aut solis infantibus datum est, aut etiam adultis. Si solis infantibus : quo fine Abraham & se & Ismaëlem & gregem vernarum suorum circumcidit ? Si etiam adultis : Annon sponte corruiť indispensabilitas octavæ diei ? Aut an solis infantibus indispensabilis fuit diei octavæ observatio ? Hæc vero meus est Cl. Autoris. At quæ quæso fiducia hoc asserere potest ? Si infantes ad octavum diem adstricti fuerunt, *sur peine de la vie, sub pœna capitali* *p. 238. pr.* (ita pœnam excidii explicat Cl. Autor) quid dicemus de Israële in arabico deserto circumcisionem omittente ? *Jos. V. 5. 8. quid de Judæis tempore Antiochenæ persecutionis ? 1. Macc. VI. 46. 2. Macc. VI. 10.* Utriusque temporis Israëlem apertus necessitatis casus, non tantum ab observantia diei octavæ, sed & ab ipso circumcisionis actu retraxit. Aut hic DEUS dispensavit, aut concedendum maximam Israëliitarum multitudinem ob omissam circumcisionem, si non capitali supplicio fuit affecta, at in statu iræ tamen obiisse. Utrum horum asseret Cl. Autor ? Apertum hinc est

C asser-

assertum de indispensabilitate octavæ diei adversari & DEI Φιλανθρωπία & praxi Veteris Ecclesiæ Judaicæ. Unde mirum quod Cl. Autor tam audacter scribat:

PAG. 239. *Les anciens Hebreux observoient religieusement le commandement de circoncire de huitieme jour, sans jamais en dispenser, lors mesme qd' l'y avoit du peril. Et post pauca: L'on ne violoit donc jamais cette Loy donnee à Abraham, quelqde praxi*
 P. 240. *pr. texte qde ce fust. Iterum quibusdam interjectis: Cette Loy s'étend sur tous les enfans mâles sans nulle exception.*

Altera castrationis causa hæc fuisse fingitur, ut Judæi tanto commodius sese extricarent plurimis dubiis, & exprobrationi de non observata præcise die octava occurrerent. Sed quia absoluta octavæ diei indispensabilitas, quæ supponitur, nec probata est nec probari ulla ratione ex textu potest, sua mole ruit hic prætextus. Age considerabimus textum, apparebit facile verba ἡμέρα τῆ ὀγδόη spuria esse. Græcorū versio est: *Et incircumcisus masculus, qui non circumcidetur carnem præputii sui die octava, exterminabitur & delebitur anima illa de genere suo, quia pactum meum dissipavit.* Annon primo intuitu apparet textus subjectum esse hominem adultum in quem contemptus pacti cadere potest? Ei, qui contemnere, irritum facere, dissipare potest fœdus DEI hic indicitur pœna excidii. An hic est infans octo dierum? Si ergo infans octo dierum non est hujus versus genuinum subjectum, annon obelisco notanda sunt verba, τῆ ἡμέρα τῆ ὀγδόη tanquam spuria & ad textum minime pertinentia?

Atqui doctissimus Judaorum Philo hæc verba tanquam genuina agnoscit, qui & ipse indispensabilitatem octavæ diei ap-
 P. 239. *m. probans scribit, (all. Voss. in app. de 70 Int.) Eorum qui*
 contra

contra voluntatem peccant, Lex reum facit neminem, cum etiam cædem imprudenter commissam condonet. Infans vero si octavo die à nativitate non circumcidatur, quidnam delinquit ut mortis pœna afficiatur? Annon ex his satis patet antiquos Judæos quævis infantem qui octavo die non fuerit circumcissus, mortis rerum esse judicasse?

Resp. Ad ostendendum quod reatus mortis infantibus octavo die non circumcissis juxta mentem antiquorum Judæorum indispensabiliter incubuerit, putat Cl. Autor sufficere autoritatem Philonis Judæorum doctissimi. At enimvero longe fallitur. Philo fuit Judæus Alexandrinus. Alexandrini LXX virali versione utebantur, quæ in ipsorum gratiam ex quadam necessitate adornata fuit, judice Scal. in Epist. ep. 14. non ex Hebraicis codicibus, sed vel ex codicibus Samaritanorum, vel aliis quibuscunque *conf. Hotting. Thes. Phil. p. 303.* Contra Palæstini & Babylonii exemplaribus Hebræis utebantur ad Esdræ & Syne-drii magni Masoram castigatis. Cum ergo Philo juxta Græcam versionem de lege Circumcisionis disserat, quo ore ejus judicium nobis obtruditur tanquam communis omnium antiquorum Judæorum doctrina? Enimvero dum Philo verba *ἡμέρα τῆ ὀγδόῃ* genuina esse supponit, non potest non gravissimis huc illuc dubiis impelli. DEUS jubet infantem octavo die non circumcissum morte afficere. Atqui infans est extra culpam, neque enim ipse medium salutis spernit, neque causa est quod Parentes circumcisionem sui præfracte intermittunt. An ergo DEUS innocentem jubet punire? Quomodo se Philo ex hoc dubio extricabit? *Nostri, inquit, dicunt, præcepti hujus interpretationem refe-*



D. 239. *fin. vendam esse ad Parentes, & illos graviter puniri existimant, veluti Legis sanctionem negligentes. Alii vero putant DEUM contra infantem prater modum indignari, quoad speciem solum, ut nempe hac ratione adultis Legem solventibus tanto inexorabilius pœna irrogetur: non quod opus circumcisionis sit necessarium, sed quod pactum violetur, si signum per quod pactum cognoscitur non impleatur. Duo quærit κρησφύγεια, alterum est, quod putat, non infantes, sed parentes puniri. At hoc manifesto est contra textus literam: Masculus qui non circumcidetur octavo die, ejus anima delebitur de gente sua. Alterum; quod censet infantes non vere puniri, sed quoad speciem tantum, ad terrendos adultos. Hujus vero pœnæ modum mihi vellem describi. Pœna aut mors æterna est, aut mors temporaria. Si æterna, quomodo illa quoad speciem potest infligi? Si temporaria, aut est corporalis, quarum illa in hoc consistit quod non præcisus octava die, moritur ante quinqvagesimū secundum ætatis annum: hæc, quod memoria nominis ejus excinditur, eo quod filii ipsius præmatura morte auferuntur. Ita enim hic nugantur Judæi, vid. AbenEsra, in Gen. XVII. 14. Neutra quoad speciem infligi potest, siquidem juxta textus literam iis infligitur, qui fœdus contemnunt: *Qui non circumcidetur in die octava, delebitur anima illa de genere suo, quia pactum meum dissipavit.* Non sunt hic ponenda diversa subjecta. Idem individuum est, quod non circumciditur die octava, & quod pactum dissipat. Jam vero fœderis divini violationem non species aut umbra pœnæ, sed vera ac proprie dicta pœna comitatur, siquidem qui fœdus DEI violat, bonorum fœderalium sese facit expertem, ac proinde DEO non utitur pro-*

pitio

pitio Patre, sed iusto iudice. Quis non, qui hæc paulo diligentius considerat, statim animadvertit tacitam in textu græco contradictionem contineri: Idem qui est infans octo dierum, dicitur contemtor fœderis divini. An hæc simul possunt consistere? Si est infans non est contemtor. Et, si est contemtor, non est infans, quia infans caret usu rationis, qui ad contemptum requiritur. Est certe *הפרת הברית* violatio fœderis actio voluntaria cum contemptu conjuncta, conf. Num. XV. 31. Quid ergo dubitamus amplius exterminare ex textu græco, spuria illa verba, τῆς ἡμέρας τῆς ὀγδοῆς, ex ipso textu *νοθείας* suæ tam clare convicta? Quid causæ autem fuit quod Philo, vir tanti iudicii, tam tenaciter hic inhæserit verbis Græcæ versionis, cum vix credibile sit eum hic latentem contradictionem non vidisse? An quod credidit eadem quoque extare in Hebræo? Imo quia collationem Hebræi codicis neglexit, fatigavit sese in loco corrupto sine necessitate. Fuit enim Hebræarum literarum expertus, ac proinde non mirum quod Hebræum textum conferre omiserit. Certo, inquit Hottingerus Thef. Phil. p. 285. 286. constat vel doctissimos & celeberrimos Alexandria Judæos ne summis quidem labris linguam sanctam gustasse. Philonis, quanti viri! Judæi Alexandrini scripta doctorum manibus sedulo teruntur, eorumque per ora volitant; at ridendos ubique propinant ex Hebraismi ignorantia ortos nevos. Idem p. 292. negat Philonem vel proletariam & perfunctoriam Hebrææ linguæ habuisse notitiam. Accessit præjudicium de *αυθεντικῆς* versionis Græcæ, quam neglectui Hebrææ literaturæ honeste pretextuit. Philo Judæus, inquit Hott. p. 322. cum unam hanc interpretationem in rebus divinis usurpare co-

Etus fuerit, omnem movit lapidem ut editionem hanc LXX viralem maximi faceret, atque divinam ipsi adstrueret αὐθεντικῶν, nomine προφητείας ipsam insignivit, quod interpretes illi Numine quasi correpti fuerint vaticinati. Ex his apparet quam male nobis opponatur suffragium viri cum Hebræarum literarum ignari, tum immoderato versionis Græcæ amore præoccupati. Quæritur an verba τῆς ἡμέρας τῆς ὀγδοῆς, sint genuina. Affirmat Cl. Autor, probatq̄ inde, quia doctissimus Judæorum Philo ea pro genuinis agnoscit. Porro quæritur, unde constat Philoni de αὐθεντικῶν horum verborum: Respondet, quia Philo ea legit in versione LXX virali. En manifestum circulum. Cum ergo hæc lectio neq̄ consensum veteris Ecclesiæ Judaicæ habeat, & non obscuram contradictionem in textum inferat, quid superest, quam ut ipsam ad mentem Hebræi Codicis emendemus?

In Hebræo evidentissime omnia fluunt, v. 10 generatim omnibus masculis qui ad Rempublicam Judaicam pertinent, sive sanguinem gerant Hebræum. sive minus, circumcisio carnis indicitur: *Hoc est fœdus meum quod custodietis inter me & vos, circumcidi vobis omnem masculum.* Vers. 11. huic canoni subjungit adhortationem ad actum circumcisionis, & simul docet quod fit circumcisio signum fœderis obfignativum in adultis: *Proinde circumcidatis carnem præputii vestri: Hoc ipso enim obfignabitis fœdus quod est inter me & vos.* Vers. 12. in infantibus autem etiam collativum, quibus ordinarium circumcisionis tempus statuitur dies à nativitate octavus: deinde subjecta circumcisionis enumerantur, quæ sunt 1. ingenui, 2. servi, iique vel domi nati, vel emptitii. *Octo dies natus circumcidetur vobis quisque masculus per generationes*

rationes vestras, item servus tam domi natus, quam emtus à quovis extraneo, qui non est de semine vestro. Vers. 13. ne quis de servorum familiæ Israël adscriptorum circumcissione dubitaret eadem adhuc semel inculcatur: *Omnino circumcidetur vobis tam verna quam emtus: Esto, inquam, fœdus meum in carne vestra fœdere sempiterno.* Denique v. 14. cum casus inevitabiles impedire possint, quo minus circumcisio die octavo peragatur, quovis alio die sub pœna exterminii jubetur peragi: *Quod si quis masculus manserit præputiatus, nec (adultus) se curaverit circumcidi, ille è consortio Israël ejicietur, eo quod fœdus meum sprevit.* Omnis enim qui perfractæ salutis medium spernit, damnatur. Atqui non is masculus, qui ex quodam casu mansit præputiatus, sed is, qui adultus לא ימול (ex גמל) se non curat circumcidi, cum nullum amplius obstet suæ circumcissioni impedimentum, præfractæ medium salutis spernit. Ergo. Apparet dari circumcissioni duo tempora, Ordinarium, quod octavus dies est à nativitate, Extraordinarium, quod est à die nono & ultra. Verba ita posita in versu leguntur, ut non obscure diversitatem hanc temporum insinuent: *Et si præputiatus est masculus, & non circumcisus fuerit. Unum idemque sunt præputiatum esse, & non circumcisum esse.* Nisi ergo alterum comma de neglectu temporis ordinarii, alterum de observantia extraordinarii exponam, annon tautologiam in textum infero? Sane ut ei occurreretur, præpostere videtur additum Græco textui esse, τῆ ἡμέρᾳ τῆ ὀγδόῃ. Sumi autem hujus distinctionis confirmatio etiam potest ex Subjectorum conditione. Inter objecta circumcidenda sunt etiam ἀργυρώνητοι. R. Salomo ילוד בית שולרתו חשפחת בביה מקנת כסף שקנאו משגולר
 Domi-

Domus natus dicitur quem serva domi parit : emptus argento, qui emitur postquam natus est: An omnes emptitii intra octavum à nativitate diem emebantur? annon potius plurimi in ætate adulta comparabantur, aut bello capti, aut alio casu ad incitas redacti? Quomodo ergo in illis poterat impleri præceptum de observantia diei octavæ? Filii octo dierum circumciditor vobis omnis masculus per generationes vestras, item verna & emptus argento, vers. 12. Res ipsa indicat legem de observanda die octava cum limitatione fuisse accipiendam: Si fieri potest: atque adeo Judæos cum veteres, tum recentiores non fuisse indispensabiliter ad diem octavum adstrictos.

*Martianus objicit: Si Judæi hunc textum Genesios cor-
p. 237. fin. rupissent, corrupissent quoque textum Lev. XII. 3. siquidem
uterque textus æque ipsos ad observantiam diei octavæ obligat.
Atque cum non corruerunt. Ergo. Resp. N. C. Ratio quia Lex
quæ in Gen. traditur pœnalis est, illa quæ Lev. XII. 3. tra-
ditur simplex lex est, nullamque transgredientibus pœnam indicat:
Ergo non necesse fuit ipsam corrumpere.*

*Resp. Quid hoc responsi est? Diversumne est Cir-
cumcisionis Sacramentum, aliud cujus neglecta Lex
damnat, aliud cujus neglecta Lex non damnat? Utro-
biq; administratio hujus Sacramenti ad octavum diem
restringitur. Quod si neglectus hujus præcepti alio
loco absolute pœnalis, alio loco planenon pœnalis est,
necesse est aut Mosen sibi contradicere, aut duo diversa
Circumcisionis Sacramentapopulo dedisse. Fieri enim
non potest, ut in unius ejusdemq; Sacramenti admini-
stratione neglectui octavæ diei & absolute indispensa-
bilis pœna exterminii, & nulla prorsus pœna indi-
catur. Utrum horum amplecteris Vir Cla-
rissime?*

DEUT. XXIII. 17. 18.

Lectio Græca integra.

17. Non erit meretrix ex filiabus Israël, & non erit fornicator in filiis Israël.

18. NON ERIT QVÆ VESTIGAL SOLVAT E FILIABUS ISRAEL, NEQVE QVI PENDAT TRIBUTUM E FILIIS ISRAEL.

18. Non offeres mercedem meretricis neq; commutationem canis in domum Domini &c.

Lectio Hebræa manca.

18. Non erit prostibulum è filiabus Israël, neque cinedus è filiis Israël.

18. Non inferes donum meretricis & precium canis in domum Domini &c.

L Acuna hic est in textu Hebræo, supplenda ex versione Græcorum. Probatur ea ex odio Judaorum in Publicanos tributa exigentes. Huic odio pretextus quærebatur ex lege quæ immunitati Judaorum videbatur favere. Eam non aliam quam hanc fuisse probari potest autoritate Baronii, qui ad annum 31. num. 26. scribit: Publicanos Parizim appellabant, eo quod ad servitutem aditum videbantur aperire, cum ipsi essent genus Abrahæ, nec quidquam aliud deberent quam decimas DEO, legeq; statutum esset, ne quis filiorum Israël vestigal penderet. Extitit ergo olim lex talis, quæ nunc in Hebræis Bibliis non amplius apparet.

Resp. Causa odii in Publicanos non fuit opinio plenariæ immunitatis lege quadam scripta nitens, sed rapacitas ac iniustitia Publicanorum, plus exigentium quam constitutum erat, Luc. III. 13. Maym. Quando reputandi sunt Publicani pro furibus? quando est gentilis; vel quando ex se ipso illud muneris usurpat; vel quando à Rege deputatus non definitam summam exigit, sed pro arbitrio; allegant Lichtfoot. in Matth. p. 287. & Otto in Lex. ex צולה Maimonidis. Causa odii erat προσωποληψία. Ita legi-

A

tur

tur in Sanhedr. allegante utroque l. c. *Cum Rex tributum definiret à Judæis exigendum ab unoquoque secundum facultates suas, hi Publicani ad rem ordinandam deputati $\alpha\epsilon\omicron\upsilon\pi\omicron\lambda\eta\pi\lambda\alpha\iota$ facti sunt, hos onerantes, illis indulgentes, & sic facti sunt depradatores.* Ex quibus patet Judæis invidiosos fuisse Publicanos non propter simplices tributorum exactiones, sed propter illegales ac iniquas. Ut iniquos Publicanos odio habuerunt, ita contra æquos amasse & in oculis gessisse exemplum Patris R. Zeiræ probat de quo Lichtfoot in *Luc. III. 13.* ex Sanhedr. *Publicanatum egit 13. annis: Cum ad oppidum adventaret Princeps civitatis, videretque Publicanus Rabbino, dicere iis solitus est: Vade populus meus, intra in cubacula tua &c. Ne videat vos Princeps civitatis, & observans quod multi estis, censum augeat annuatim.* Tota gens injustis exactionibus urgebatur. Proinde odium in publicanos universale erat. Quod si ergo odium hoc nititur opinione immunitatis lege sancitæ, necesse est opinionem illam quoque universalem fuisse. An autem credibile est opinionem immunitatis lege sancitæ universæ gentis animos unquam occupare potuisse? An esse potest Respublica in qua vigeat immunitas plenaria à tributis? Quod si Respublica sine Magistratu non potest consistere, Magistratus autem suo officio regendi defendendique populum fungi non potest, nisi tributis subditorum sustentetur, cum pecunia sit rerum gerendarum nervus, qui fieri potest, ut in Republica inualeat immunitatis plenariæ opinio? Et quæ ætas Judæorum est, quæ hanc plenariæ immunitatis opinionem confirmet? Cum Judæi sub domesticis Regibus degerent, haut invitati legitimo Magistratui suo tributa

tributa

tributa pendebant, ob regendi defendendiqve benefi-
cium. Deut. XVII. 15. 16. 17. Regibus Judæorum in-
terdicitur non nulla prorsus, sed nimia tributa exi-
gere. *Pones super te Regem quem DEUS elegerit è medio
fratrum suorum &c. ne multiplicato ille sibi eqvos &c. non ar-
gentum neqve aurum &c.* Additur glossa: **אלה כרי ליתן**
אכסניא non multiplicet sibi argentum, nisi quantum opus
est ad dandum hospitium, id est, ut Bechai exponit in h. l.
אלה כרי ליתן שכר חולותיו מרי שנה בשנה הנכנסים
והיוצאים עמו כל שנה ושנה אכר אונן ושאו
לעשות ממנו איצר או סגולה והחכם רגל זל נתן
טעם בכסף וזהב לאל ירבה כרי שלא ועניש ישראל
ככבוד המס שכן מצינו שלמה שהכביר על ישראל
עור המס בסברת רכוי כסף וזהב *Nempe ut stipendium
habeat, quod quotannis solvat exercitui suo pro militandi opera.
At non in eum finem pecunias exigere ipsi concessum, ut eas in
thesaurum reponat. R. Abraham ait legem de non multipli-
cando auro eo pertinere, ne Israël nimis tributorum exactionibus
pregravetur. Id enim Salomoni vitio dari, quod augenda rei
studio nimia tributa Israël imposuerit. Necessitas ergo
alendi præsidii Regii, conservandæq; securitatis pu-
blicæ tributa Israël imperabat. Cum Israel, finita
Regum suorum periodo, sub potestatem Regum ex-
traneorum concessisset, neqve sub Babyloniorum,
neqve sub Medorum, Græcorum, Romanarumq; im-
perio pervolgata immunitatis lege sancitæ opinio lo-
cum apud eum habere potuit. Furiosorum ac sedi-
tiosorum hominum est illa opinio, non bonorum &
ad verbum DEL sese conformantium civium. Jerem.
XXIX. 7. jubet DEUS nunciari captivis sub jugo Ba-
bylonico: *Quærite salutem civitatis Babylonica; orate pro**

ipsa: Si ipsi bene est & vobis bene erit. Hic DEUS Israëlem obligat ad ferendum jugum, ad solvenda tributa etiam injusta: quis satis sanus opinari potest DEUM data quædam lege obligasse Israëlem ad non pendenda vectigalia Principibus, præsertim extraneis? Annon sibi ipsi contrarius foret DEUS si hoc fecisset? Quod si lex quædam extaret de non ferendo tributo, perpetua praxi ei obluctati fuissent Israëlitæ sub Babylo- niis, Medis, Græcis & Romanis, quibus justa ac clementia tributa haut inviti solvissent leguntur, ab prote- ctionis beneficium. Quam inconsiderate itaque Ba- ronius scribit, *lege statutum esse, ne quis filiorum Israël ve- ctigal penderet, aut, ut verba ipsa Cl. Autoris afferam:*

P. 243. fin. Baronius remarque fort bien, que la Loy ne permettoit pas qu'il (Israël) fust chargé d' aucun impost, ni d' aucun tribut: Si hæc est Baronii sententia, prouti Autor vult, sane præcipitata ea est & non satis examinata. Si autem ex mente Judæorum ita scribit, quæ idonea ratione probabit, opinionem legalis à tributis immunitatis bonorum civium animos occupare potuisse? Bono- rum civium, inquam, quales erant qui Publicanos justo odio prosequerentur, non furiosorum aut sedi- tiosorum, quos etiam optime dicta facile ad alienum sensum detorquere posse nemo negat.

Diserte Baronius asserit Judæos immunitatem suam propu- gnasse data legis fiducia: Ne quis vectigal pendat ex filiis Israël: Quis tantum Virum hoc sine ratione scripsisse asserat? Simi- liter & secta Jude Galilai, ad quam plurimi ex Pbariseis sese mod. aggregaverant, hac Deuteronomii lege nitebatur: Item illi qui Salvatorem accedentes interrogabant: Quid tibi videtur li- cetne Cæsari tributum dare, annon? Necessè ergo est in Hebræo extitisse

extitisse talia verba quæ immunitatis sensum præ se ferre videbantur.

Resp. 1. Cardinalis nuda nos autoritas nihil movet. Si non sine ratione scripsit, quare non additur asserti ratio? Scripsit Judæos, & quidem, les plus zelés d'entre les Juifs, semper propugnasse libertatem suam lege: ne quis pendat vectigal. Audax assertum: An ergo nulla alia res eos ad recuperandam libertatem animare poterat? Adeone longis ambagibus primum verba quædam in Græca versione investiganda erant, quæ sensum immunitatis præ se ferre viderentur, & inde inferendum, eadem olim in Hebræo codice fuisse lecta, atque hæc ita lecta fomenta desiderii libertatis fuisse? Quid est sine ratione aliquid asserere, si hoc non est? Sequatur Cl. Autor auctoritatem irrefragabilem Cardinalis: nobis non commodum est auctoritatibus magis duci quam rationibus.

2. Tributum Cæsari denegare mali civis est, qualis fuit Judas Galilæus cum complicibus suis, quales fuerunt qui Salvatore quæstionem proponebant captiosam. Hos pravæ suæ lubidini Scripturæ verba prætexuisse non negamus. At quænam verba? Non hæc quæ Cl. Autor prætexta esse intendit: neque enim illa sensum immunitatis gerunt, neque unquam exstiterunt in Scripturis S. quod paulo post probabimus: Sed verba promissionis Patriarchis factæ de imperio in populos. Hæc promissio, quæ tamen nequaquam absoluta erat, mentibus Judæorum alte infidebat Gen. XII. 3. *Benedicam benedicientibus tibi, & maledicenti tibi maledicam* Cap. XVII. 17. *Reges gentium ex Sara prodibunt* XXII. 17. *Hæreditabit semen tuum portas inimicorum suorum.* XXV. 23.

Major serviet minori XXVII. 29. Servient tibi populi & incurvabunt se tibi nationes, eris imperator fratri tuo, & incurvabunt se tibi filii matris sua Deut. XXVIII. 1. Eris supremus omnium Gentium terra vers. 13. Dabit Te DEUS esse caput non caudam &c. Hæc & alia promissa fatis excitare populum ad sectandam libertatem poterant, neque opus erat ad eam firmandam glossis LXX Interpretum. Ex hoc fonte prodibant verba Judæorum apud Joh. Cap. VIII. 33. *Semen Abrahe sumus, neque cuiquam unquam servivimus.*

Ut tandem ad verba legis, quæ authentica esse jactatur, deveniamus, primum asserimus, si talis Lex scripta legeretur, illam sensum immunitatis à vectigalibus Magistratui pendendis ferre non posse. Adversaretur ea bonitati DEI, qui ordinem parentium & Imperantium instituit, cujus vinculum est tributorum pensio. Adversaretur justitiæ DEI: Justum enim erat Israëlem ob peccata exactioibus Principum extraneorum subjici, quod DEUS ipsi comminatus erat Lev. XXVI. Deut. XXVIII. Adversaretur perpetuæ DEI praxi, qui Israëlem sub alienorum Principum jugum missum ad solvendas injustas etiam pensiones adstrinxit Jud. II. 12. III. 8. IV. 2. X. 7. 1. Reg. XVIII. 25. 2. Par. XXI. 17. Adversaretur officio civis boni ac pii. Illius enim est turbas ac seditiones vitare, hujus crucem à DEO immissam patienter ferre Rom. XIII. 1. 7. 1. Pet. II. 18. 1. Tim. II. 1. seq. Deinde ut de sensu legis judicare rectius possimus, integra ejus verba sunt afferenda: Οὐκ ἔσαι τελεφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραὴλ, καὶ ἐκ ἔσαι τελικόμενος ἀπο υἱῶν Ἰσραὴλ. Duo hic sunt commata: Prioris commatis subjectum fœmina est:

Non

Non erit qva *vedligal* solvat è filiabus Israël. Fœminæ interdicitur tributi pensio. Damnabile hoc tributum est. Proinde non exigitur à fœmina qva tali, sed qva scortum est, qva qvæstum corpore facit. Dum prohibetur à scortis tributum exigi, simul prohibetur qvæstus meretricius, prohibentur lupanaria. Posterioris commatis subjectum est masculus: *neqve sit qvè pendat tributum ex filiis Israël.* Ita transfert græcum τελεσκόμεν. Clariss. Autor, cujus se sensum nescire fatetur Casaubonus. Videtur seqvi Baronium & Tertullianum. Subjectum est filius Israëlita: Prædicatum τελεσκόμεν. Quid hoc est verbi? Alii putant notare *iniatiatum*: alii idem esse quod τελειόμεν, *perfectus, absolutus.* Alius verba Græca ita transfert: *Non erit fœcunda ex filiabus Israel, & non erit perfectus ex filiis Israël.* Alius ita: *Non erit ferens teletas de filiabus Israël, & non erit iniatiatus de filis Israël.* Salmasius idem esse censet, quod πορνέων, ac, tam τελεσφόρ, quam τελεσκόμεν, illatum esse ex versione Theodotionis in LXX viralem, opera Origenis, qui Theodotionem cum LXX in Hexaplis suis miscuerit. Hottingerus mavult vocem illam versioni Aquilæ adscribere, qui voce τελεσκόμεν voluerit exprimere τιμὴν τῆς ψῆς quod est κεχωρισμέν, Conf. illum Thef. Phil. p. 278. Pace tantorum virorum liceat nobis & nostram sententiam dicere. Neutri assentiri possumus. Neq; Theodotioni, neqve Aquilæ verbum deberi putamus, sed ipsorum esse LXX Interpretum, qui, ut alibi solent, ita & hic glossam suam textui addunt. Putamus autem non incommode cum Tertulliano reddi posse *vedligal pendens.* Tres sunt hic versus qui arcte cohærent, de eadem agentes meteria.

Versu

Versu 16. *Non erit prostibulum de filiabus Israël, neq; cynædus de filiis Israël.* Hic interdicitur utrique sexui scortatio, quæ Gentibus Veneris sacris addictis valde erat familiaris. Subjungitur interdictum de mercede meretricia in domum DEI inferenda v. 18. *Non inferes domum meretricis & precium canis in domum Domini DEI tui.* Canis est cynædus, puer meritorius. Utrumque præceptum *אזהרה לכות דן* admonitio est pro Magistratu. Interdicitur Magistratui mediis inhoneste quæsitis sacra conservare. Quia autem talis conservandi cultus divini modus supponit tolerantiam lupanarium, exactionesq; tributorum à prostibulis, hinc quod Hebræa verba includebant expresse ponere voluerunt Græci: *Ne sit quæ vectigal solvat ex filiabus Israël, neque qui pendat tributum ex filiis Israël.* Hic versus duobus prioribus mediis interferitur, neque quidquam est aliud quam glossa textus Hebræi, illustrans versum tam antecedentem quam consequentem. Quod verba hæc sensum immunitatis à tributis Magistratui pendendis gerere non possint, ipsa ratio positus & nexus infert. Si autem prohibent vectigal exigere à prostibulis, erunt glossa illustrans versum 17. & 18. Si glossa sunt virtualiter insunt Hebræo textui. Quo jure ergo asseri potest integrum hic versum deficere qui ex LXX versione suppleri debeat? Pono ea in textu Hebræo extitisse. Certe nullam habuerunt Judæi rationem, ea expungendi, sive in genuino sensu ea interpreteris, sive in spurio. Si in genuino: quid juvisset rem Judæorum, si expunxissent præceptum quod tributum à prostibulis exigere prohibet? Si in spurio: annon credibile est eos summa diligentia potius conservaturos fuisse legem tam amabilem, tam faventem immunitati suæ?

Ratio

Ratio expungendi erat, quod non poterant sine pudore & p. 245. sic. conscientia morsu sufferre, sibi exprobrari, quod legem banc sol- 246. pr. vendis tributis perpetuo transgrederentur. Sed & Tertullianus agnoscit banc legem pro genuina libr. de pudic. num. 9. item Hieronymus in ep. ad Damasum 146.

Resp. 1. Eja vero quam bella expungendi ratio! Si ea valet, quidquid erat legum forensium & ceremoni-
 alium, Judæis erat ex Hebræis Bibliis tollendum, quia
 in exilio suo non sine pudore coguntur perpetuo ad-
 versus eas peccare, ad quarum tamen observantiam
 sese in æternum adstrictos esse arbitrantur. 2. Ad-
 ducit Legem hanc Tertullianus eiq; sensum immuni-
 tatis à vectigalibus perperam affingit. Quid inde?
 An propterea tenet sensum immunitatis? an Patri re-
 non satis expensa aliquid affirmanti cæco studio cre-
 dendum? Undenam quæso allegat S. Pater Legem
 hanc? an ex Hebræis Bibliis? minime, sed ex Græca
 versione. Quis obsecro in dubium vocat, quod verba
 quæstionis in LXX versione extent? An unquam in
 Hebræo extiterint, id quæritur. 3. Hieronymus Ter-
 tulliano, Publicanos Ethnicos fuisse hoc adducta lege
 probanti, contradicens, scribit ad Damasum part. II.
 ep. 15. *Vebementer admiror Tertullianum, in eo libro, quam
 de pudicitia scripsit, hoc voluisse sentire, quod publicani & pec-
 catores, qui cum Domino vescebantur Ethnici fuerint, dicente
 Scriptura: Non erit vectigal pendens ex Israël. Quasi vero
 & Mattheus non ex circumcisione fuerit publicanus.* Addit
 Cl. Dn. Autor: *S. Jérôme & le Pape Damase à qui il écri. p. 246. m.
 voit, ont reconnu cette Loy pour tres veritable: Non erit ve-
 ctigal pendens ex filiis Israël.* Quid hoc iterum argumen-
 tationum est? Hieronymus allegat verba quæstionis
 B tanquam

tanquam fundamentum sententiæ Tertullianæ: Ergo Hieronymus ea pro genuinis agnovit. Hieronymus ad Damasum scribens verba hæc allegat ex mente Tertulliani; Ergo Damasus ea habet pro veris & genuinis. Quis tam credulus est, qui Reverendissimo Dn. Abhati ita inferenti fidem habebit? Cum ergo nulla ratio pro authentia horum verborum adduci possit, quid superest, quam ut ea obelisco jugulemus, quod præter Vulgatam aliæ fecere versiones complures.

DEUT. XXXIII. 6.

Græca lectio integra.

Hebr. text. truncatus.

Vivat Ruben & non moriatur, & SIMEON sit multus numero.

Vivat Ruben & non moriatur, & sit parvus in numero.

In Græco vera continetur benedictio. In Hebræo magis est p. 246. fin. maledictio quam benedictio. In Græco mentio fit SIMEONIS. 247. pr. In Hebræo non item. Evidens ergo est, truncatum hic esse textum Hebræum. Quia enim Moses singulis tribubus benedicit, credibile non est eum Simeonem præterire voluisse.

Resp. Versio textus Hebræi, quam exhibet Cl. Autor, sensum conatur exprimere. Damus aliam quæ magis literam sequitur: *Vivat Ruben & non moriatur, & viri ejus sint numerus.* Absolutam in his verbis benedictionem contineri censent alii, alii comparatam. Illi repetita ex priore commate particula *non*, ita transferunt: *Vivat Ruben & non moriatur, & viri ejus non sint viri numeri, seu pauci.* Ita exponit Aben-Efra, quem sequitur Ben-Melech. Eodem modo transfert Arabs, *neque fiat familia ejus pauci numeri.* Glassius ellipsin hanc exemplis probat Phil. sacr. pag. 220. 221. R. Jacob Abendana ait *רובו* numerus positum esse pro

pro **במספר** in numero h. f. *Vivat Ruben & non moriatur: & retenseatur in numero tribuum Israël.* Idem aliam adhuc interpretationem affert: *Vivat Ruben, nempe cum in aciem egreditur pugnaturus pro Israël, neq; moriatur: nec profligetur ab hostibus: & sint viri ejus numerus, id est, revertantur domum totidem numero quot in bellum profecti erant, nec desideretur ex ipsis quispiam, Vide ipsum in Michlal Jophi.* Alii, **יהי מספר** sit numerus, vertunt sit numerosus Amstælod. *Dasß Ruben doch lebe und nich sterbe und das seine Leute Zahlhafftig solten seyn.* Sic & LXX **καὶ ἔσαι πολὺς ἐν ἀριθμῷ:** Samaritani, **מספר יהי מנתו** erit ex ipso numerus, converso **מנתו** viri ejus, in **מנתו** ex eo. Comparatam benedictionem hic contineri malunt alii. Lutherus, *Ruben lebe und sterbe nicht / und sein Pöbel sey gering.* Tenet eandem Vulgata & Münsterus. Atque hanc etiam nos priori expositioni præferimus, eo quod magis convenit & cum Grammatica lingvæq; genio, & cum veritate. **מספר** homines numeri stylo Scripturæ Hebrææ dicuntur pauci. *Gen. XXXIV. 30. Deut. IV. 26. 1. Par. XVI. 19. Psalm. CV. 12. Jer. XLIV. 28. Ez. XII. 16.* Idem & h. l. paucitatis sensus est: *Erunt viri ejus viri numeri.* Erat enim jam ante à Jacobo Patriarcha paucitas huic tribui prædicta *Gen. XLIX. 4. Levis fuisti aquarum instar, ne crescas.* Sensus ergo est: *Quamquam Ruben violavit cubile Patris sui, ideoque tam sacerdotio quam regno privatus, tamen in sua posteritate non prorsus rejicietur, quin habeat & ipse populum tametsi exiguum. Est & hæc benedictio, quamquam non tam ampla est, ac cæterorum. Propter incestum dignus erat Ruben qui cum tota posteritate*

excinderetur. At mitigatur ipsi pœna propter CHRISTUM. Est autem & hæc pœnæ mitigatio, benedictio. 2. Moses singulis tribubus hic benedicit, at non tamen singularum nomina expresse memorat. Simeonis nomen omittit synecdochice, eo quod accensebatur tribui Judæ, *Jos. XIX. 1. Cap. XV. 32.* Unde factum ut expeditiones quoque inter has tribus communes essent *Jud. 1. 3.* notante Tremellio in h. l. Neque etiam omnes editiones Græcæ nomen Simeonis exhibent. Exhibet Weicheliana, sed addit: *In aliis abest Συμεών, ut Hebr. & abfuisse Patres plerique agnoscunt.* Non habet editio Brylingerii, neque Waltoni. Flaminius in notis ad LXX vers. testatur legi Συμεών in aliquot codicibus, sed minus vetustis, & in Complutensi. Idem Apollinaris testimonio probat ad textum non pertinere: *Accurata, inqvientis, exemplaria non habent mentionem ipsius Simeon.* Idem probat, nec Ambrosium nec Augustinum, nec Theodoretum legere. Quo loco ergo habenda est lectio quæ tam paucos habet testes? quam nec Vulgatus interpret probat, nec Syrus, nec Arabs, nec Æthiops? quam & ipsa fastidit Samaritana versio, quæ LXX Interpretes usos fuisse multorum non incerta est sententia? Ex defectu vocis

p. 247. pr. Simeon concludit Cl. Autor: *Il y a donc une faute dans l'Hebreu d'aujourd'hui, qu'il faut corriger par l'ancienne Version.* At etiam in vulgata non legitur nomen Simeonis. Quare ergo defectus hic non est restitutus ex antiquissima Græcorum versione? Si enim in Hebræo corrigendus erat hic nævus, annon etiam in vulgata? Si non nisi integer codex authenticam habere potest, quare Vulgato authenticam adscribere Patres Tridentini,

tini, qui tamen hoc loco est mancus iudicio Clariff. Autoris. Aut ergo Dn. Autor errat, aut Sacrosancta Synodus. Enimvero & historiae contradicit hæc propositio *Συμῶν ἕσω πολὺς ἐν ἀριθμῶ.* Annon enim hoc aperte falsum? Annon Simeonis posteritas inops & vaga perpetuo fuit, prorsus ut nec peculiarem sortem haberet in terra Cananæa, sed tanquam appendix Judæ censeretur? Quæ fide ergo in ipsum competere potest numerositas præ cæteris tribubus? Apparet evidenter spurium esse, ΣΥΜΕΩΝ, ac propterea non tolerandum in textu authentico. Esto expresse Simeonis non fieri mentionem, at implicite tamen fit in Juda, quia accensebatur tribui Judæ. Fit materialiter v. 7. *Hæc est benedictio Judæ: dixit יהוה אלהי אודי JEHOVA vocem Judæ &c. Hic שמעון Simeon materialiter extat Conf. Gen. XXIX. 33.*

Jos. XV. 58. 59. 60.

Integra lectio Græca.

Hebræa manca.

58. 59. Elul, & Bethzur, & Chedur, & Muroth, & Bethanot, & Elthecen, civitates sex & villa earum.

58. 59. Chalchul, Bethzur & Gedor, & Maharath & BethHanotha & Elthekon: civitates sex & villa earum.

60. Theco, & Ephrata, hæc est Bethlehem, & Phagor, & Aitham, & Culom, & Tatami, & Sores, Carem, & Gallem, & Beiber, & Manoch, urbes undecim & pagi earum.

60. Cariabaal &c.

60. Kirjat-Baal &c.

Deficiunt hic integra undecim civitates in Hebræo, ex qvi. p. 247. sq. *bus hæc sex Theco, Bethlehem, Etham, Carem, Gallim, & Beiber etiam alibi memorantur. Propositum erat Josuah omnes civitates ad terram Judæ pertinentes hic enumerare: quod*

B 3

si has

*si has undecim omisisset, imperfectum nec satis exactum hic texu-
isset catalogum. David Kimchi qui vixit seculo XII. scribit
in suis commentariis sese adhuc sua etate has undecim urbes
reperisse in quibusdam exemplaribus. Idem affirmat R. Isaac
Abarbenel qui sub finem seculi XV. floruit, ac plures alii Judai.
Sed & Manuscripti quidam Hebraei Codices ostendi possunt in
quibus adhuc reperiuntur ha undecim urbes. Quin & Masius
se eas testatur legisse in antiquo exemplari Syriaco: item in ma-
nuscripto quodam Chaldaico. Annon ergo apertum est Judaeos
has urbes malitiose e textu rescidisse, cum nec in margine illas
adscriserint, neque inter Keri & Ketib retulerint? Non certe
sine ratione Hieronymus hic suspicatur, urbes has a veteribus
libris Judaeorum malitia esse erasas.*

Resp. Propugnat Dn. Autor assertum suum duo-
bus fundamentis, quorum alterum, quod ab auto-
ritate peritum, primo examinabimus. Objicit nobis
authoritatem duorum maximi nominis Rabbiorum
utrumque ait de hoc testari defectu. Ubinam, roga-
tus, respondet, in commentariis suis. Satis indetermi-
nata responsio: Incertus manet lector utrum com-
mentationem horum Rabbiorum in hoc XV. Josuae
caput praecise innuat, an in alium quempiam Scri-
pturae locum. Legimus ac relegimus glossas Kimchii
in caput XV. nihil invenimus quod hanc tangat mate-
riam. Ad versum 21. exponit difficultatem quae objici
poterat ex v. 13. in quo dicitur: *Omnes ha urbes sunt viginti
novem: cum tamen in praecedentibus triginta octo
essent recensitae. Novem inquit superfluae pertinebant ad
tribum Simeonis, quae accensita erat tribui Juda. Conf. supra
locum Deut. XXXIII. 6. Inde adjectis brevibus notis ad
v. 35. 36. 37. reliquos versus uno transit saltu, neque
quid-*

quidquam notat nisi ad versum 63. qui ultimus est capituli. R. Isaac Abarbenel ad tria tantum loca hujus capituli quædam annotat, nempe ad versum 1. *Et fuit sors tribus Jebada &c.* ad vers. 21. *Et fuerunt urbes &c.* Ubi eandem difficultatem solvit, quam Kimchi enodabat, ad Kimchii provocans auctoritatem: denique & ad versum capituli ultimum, *Et Jebusaum &c.* Adjecit ad Abarbenelem notas suas R. J. Fidanque, qui & ipse à versu 49. ad 63. nihil observat. Idem facit & Raschi & BenMelech. Non diffitemur Kimchii & Abarbenelis auctoritatem maximi esse apud Judæos. Operæ precium ergo fuisset verba horum Rabbino- rum non tantum accurate citare, sed & ex suis locis transcribere, ita lectori de certitudine testimonii tam ponderosi liquido constitisset. Cum autem Cl. autor hoc negligat, quid de illo judicabimus? quo loco habebimus auctoritates Rabbino- rum, nominatas tantummodo, non allatas, non probatas, in quibus tamen tantum erat situm momenti? Quod si quis horum Rabbino- rum diserte scriberet omnia hic esse undecim urbium nomina, quæ ad substantiam textus authentici pertinerent, annon ipsimet faterentur Hebræa exemplaria, quæ nostris manibus versantur, mutila esse & manca? Annon totus Hebræus Codex in suspicionem corruptionis vi quædam raperetur? Præter hos duos Rabbinos etiam alii idem testari dicuntur. Magnam, fateor, speciem habet hic tot testimoniorum prætextus. Saliva movetur lectori; qui idem tamen dum esuriens dimittitur, fidem Autoris haut abs re habet suspectam. Et quoniam quæso sunt illi Manuscripti codices Hebræi, qui urbes, de quibus quæritur, adhuc

adhuc asservant? In quanam sunt regni Gallici Bibliotheca? Satisne fidum est antiquitatis ipsorum testimonium? Et quid hic Masii suffragium Cl. Autorem juvat? Testatur Andreas Masius in annotationibus ad hunc locum, in suo exemplari Syro ante mille annos scripto hæc omnia obeliscis jugulata esse. Nisi me omnia fallunt Clariss. Dn. Autor hunc locum confundit cum *Jos. XXI. 36. 37.* ubi leguntur duo versiculi: *Ex tribu Rubenis Bezer cum suburbanis ejus, Jabzab cum suburbanis ejus: Kedemoth cum suburbanis ejus, Mephabat cum suburbanis ejus, civitates quatuor.* Exhibet hos versus Waltonus in suis Bibliis. Habent eos LXX. Vulgatus, Syrus, Arabs. Legit Lutherus, Tremellius, Munsterus, Bombergus. Legit eos quoque Masius in paraphrasi sua Chaldaica, Msc. Complutensi, quam in Bibliotheca sua habebat. Absunt iidem à Bibliis Buxtorfianis, ubi in margine ad h. l. legitur **וש ספרים** מוגה בהם וממטה ראובן ארז כצר גו ובכל הספרים מוגה להם המרוקים הישנים לה נמצא *Sunt libri in quibus ex correctione additum: Et ex tribu Ruben Bezer &c. At in omnibus accuratioribus antiquis exemplaribus non extat.* Idem Kimchi testatur **לה ראיתי שני פסוקים אלו כשום ספר ושן** **מרויק אלה מוגה במקצתם** *Non inveni duos hos versus in quoquam exemplari antiquo accurato. Quod autem in quibusdam extant, ex correctione est.* Scilicet v. 7. filii Merari dicuntur datæ esse duodecim urbes, de tribu Ruben, Dan & Sebulon. At post non nisi octo numerantur. Translata ergo quatuor sunt ex *1. Par. VI. 63. 64.* in hunc locum, ut numerus suppleretur. Fatetur Kimchius se legisse has urbes in quibusdam exemplaribus, quanquam illa negat satis fuisse accurata. Confer de

de hoc loco Glass. lib. 1. p. 60. 61. Hotting. Thef. Phil. p. 179. 199. Quid multis? Pono Kimchium, Abarbenem, pluresque Rabbinos verba hæc in aliis quibusdam exemplaribus legisse, an propterea ipsorum testimonio oppugnari potest integritas Hebræi textus? Scribit Cl. Autor: *Kimchi avoüe dans ses Commentaires p. 248. fin.*

qva ces onze Villes se trouvoient encore de son tems dans quelques exemplaires: mais il ne les à pas suivis, parce qve ces villes ne se trouvoient pas dans l'Exemplaire d' Hillel auquel les Juifs se sont toujours attachés. Dum ergo Hillelianam lectionem probat, alteram, quam in quibusdam reperit codicibus, rejicit, siquidem fieri non potest ut utramque lectionem probet, cum sint à se dissidentes. Dum ergo Kimchii testimonium non probat, quod undecim illæ urbes, quarum Græci meminere, pertineant ad textum authenticum, nihil illud prodest Cl. Dn. Autori. Male etiam sequitur: Judæi nullam de hoc defectu in margine notam apposuere, Ergo apparet eos Hebræum Codicem hic malitiose truncasse. Imo hoc sequitur: Ergo nullum hic defectum agnoverunt. Et quam impertinenter hujus imputati defectus annotatio ad *Keri & Ketib* revocatur, cum illæ notulæ solas singularum vocum, non integrarum sententiarum, indicent diversitates? Hieronymus ait, *incertum esse an Judæi illa verba malitiose eraserint, an à LXX sint addita.* De causâ diversitatis duas affert opiniones, aliorum, qui putant has XI. urbes à LXX esse additas; aliorum, qui censent malitia Judæorum esse erasas. Utramque relinquit in incerto, neutri sese affinem faciens, & tamen Cl. Autor infert, Hiero- *p. 249. fin.*

C

dæorum

dæorum malitiæ esse tribuendum. Vah quam indigne! Quid tandem Judæos impulit ad hanc falsationem? Ne CHRISTUS de tribu Juda natus videretur. Hanc Hieronymus suspicionis quorundam causam affert. Vide sodes quam indigne crimen falsi imputetur Judæis. Quod si unquam Judæi falsanda Scriptura quæsiissent infringere argumentum, quod pro jam exhibito Messiaæ adventu à loco nativitatis petitur, annon potius Michæ vaticinium corrupissent, quod Bethlehemum locum nativitatis Messiaæ esse clare docet? Atqui hoc vaticinium reliquerunt intactum. Qua quæso verisimilitudinis specie asseri potest Judæos ex hoc Josuæ XV. loco exemisse nomen Bethlehemi, propterea ne CHRISTUS videretur ibidem natus? An hic Bethlehem CHRISTI nativitati destinatur? Quam hæc coacta, quam extorta suspicionis ratio est! Quod si tu ita inferres contra Judæum: Messias nasci debuit Bethlehemi Judæ: E. Messias jam est natus: Judæus autem vellet excipere: Josuæ XV. inter urbes Judæ nulla fit mentio Bethlehemi: Ergo Messias Bethlehemi non videtur nasci debuisse: Annon tu insanire hominem diceres, qui & tam pueriliter inferret, & tam aperte Michæano vaticinio obloqueretur? Verbo. Aut utrumque locum Judæi corruerunt, aut neutrum. Atqui non corruerunt utrumque; Ergo neque alterutrum.

Alterum asserti fundamentum est, quod Josua hic exactum urbium Judaicarum Catalogum voluit nectere. Nude hoc iterum dicit Autor, non probat. Non tantum hæ undecim urbes hic omittuntur, sed & plures aliæ, quarum Hieronymus mentionem facit
in

in locis Hebraicis e. g. Gerara, Nobe, Bethcar &c. Has non omisisset Josua, si perfectum catalogum urbium Judaicarum scribere in animo habuisset. *Probabile est*, inquit Buxtorf. in Anticr. part. II. p. 691, *hec à LXX aut potius à quodam alio fuisse ex aliis diversis locis Scriptura collecta, & ad marginem primo adscripta, postmodum in textum ipsum insulsa, ad pleniorum recensioem urbium tribus Juda.* Sunt autem & complura alia loca versioni Græcæ intexta, quæ in genuino Hebræo codice non leguntur, quæ propterea Origenes obeliscis jugulavit. Afferemus hujus rei evidens exemplum ex Ps. XIV. ubi inter versum 3. & 4. inserti sunt sex integri versus ex Rom. III. 13. seqq. Clarissimus Autor adducit hunc locum p. 153. tanquam corruptionis argumentum à Judæis factæ. Quia locus hic supra fuit prætermisus, eum hic brevibus considerabimus.

PSALM. XIV. 3. 4.

Lectio Græca integra.

Lectio Hebr. manca.

3. Nemo est qui faciat bonum,
ne unus quidem.

3. Nemo est qui faciat bonum,
ne unus quidem.

Sepulchrum patens est guttur eorum,
linguis suis dolose agebant: venenum
aspidium sub labiis eorum.

Quorum os maledictione & amaritudine
plenum est.

Veloces pedes ad effundendum
sanguinem.

Contritio & infelicitas in viis eorum
Et viam pacis non cognoverunt.

Non est timor DEI ante oculos
eorum.

4. Annon noverunt omnes operantes
iniquitates &c.

4. Annon noverunt omnes operantes
iniquitates &c.

C 2

Hos

pag. 133. **H**os sex versus cum Paulus in epistola ad Romanos ex Ps. XIV. allegasset Judæi odio Pauli ex Ps. XIV. ejecerant, ut fidem Paulinorum scriptorum facerent suspectam.

Resp. Nullam verisimilitudinem habet hæc conjectura. Si Judæis propositum fuit Paulum in crimen fraudis vocare falsandis dictis ab ipso allegatis, quæ ratio quod hunc imprimis locum aggressi? An in eo solo tanta vis erat derivandi fraudis suspicionem in Paulum? Probat Paulus Judæos æque ac gentes reatu peccati teneri. Adducit testimonium asserti ex Psalmo XIV, 2. 3. *Non est intelligens, non est exquirens DEUM: Omnes declinarunt, pariter inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, ne unus quidem.* Annon hoc unum testimonium satis erat ad probandum assertum suum, etiamsi cætera quæ v. 13. usque ad 18. sequuntur omnia omisisset? Quid itaque his obtinuissent Judæi si ea in textu Hebræo expunxissent? Evincere conatur Apostolus peccatum universale esse, commune tam Judæis quam Gentibus v. 19. 20. 23. Proinde adducit dictum in quo est manifesta universalitatis mentio. In cæteris dictis, quæ v. 13. ad 18. adducit, gravitas quidem Peccati depingitur, at non expressa ibi est universalitatis mentio. Proinde non tam ad probandum quam ad illustrandum ac confirmandum adducuntur. Hoc est quod alibi vocatur, *συμβιβάζειν*, Act. 18. 22. XVI. 10. collatis & coagmentatis scripturæ locis aliquid probare. Si Judæis animus fuisset crimen falsi S. Paulo affricare, plus egissent si ea sustulissent loca, quæ ad probandam Judæorum abjectionem adducuntur Cap. 18. 27. 28. 29. X. 19. 20. 21. XI. 8. 9. 10. Nam יצר רע peccato originali se esse infectos non negant. Contra abjectionem sui omni vi
 impu-

impugnant. Jam vero hæc integra leguntur. Quis itaq; satis sanus suspicari potest, Judæos, hoc solo loco falsando, maculam fraudis aspergere Paulo voluisse, cum, quæ alias allegat loca, omnia intacta reliquerit; præsertim cum eadem verba & aliis scripturæ locis legerentur, ex quibus itidem fuissent expungenda, si suæ rei voluissent consulere Judæi?

Est hæc Hieronymi sententia, quod partim ex Esaiæ LIX. 7. pag. 184. partim ex Ps. V. 10. X. 7. XXXVI. 1. CXL. 4. sint de pag. 185. promta. At idem tamen incertus in Psalm. XIV. scribit, p. 185. fin. Apostolum de Deuteronomio ac Psalterio & cæteris scripturarum locis hoc testimonium texuisse. Quid opus est quærere difficultates non necessarias? Quare non simpliciter asserimus petita esse hæc loca ex Ps. XIV. in quo ea perpetuo legerunt & Orientales & occidentales Ecclesia? Præsertim cum Esaiæ verba non parum discrepent, qui hæc verba per imitationem videtur ex Ps. XIV. in suam Prophetiam translulisse, perinde ut ex Ps. CXVIII. quædam desunta exhibet in Cap. XII. 2.

Resp. 1. Quod versus de quibus quæritur negamus petitos esse ex Ps. XIV. satis prægnantem habemus rationem, quia inde inferretur Psalmum illum esse corruptum. Jam vero hæctenus ostendi non potuit Hebræam Scripturam Judæorum malitia esse falsatam; rationes autem quibus probare Autor vult Psalmi XV. corruptionem, esse frivolas, nec ullam habere probabilitatis speciem paulo ante ostendimus. 2. Hieronymus non mutat sententiam, sed jam adductis scripturæ libris addit Deuteronomion, respiciens ad Cap. XXXII. 5. 6. 28. 29. præsertim 33. ubi Judæis tribuitur *Δυμὸς ἀσπίδων ἀνίατος*. 3. Falsum est versus hos in omnibus Ecclesiis constanter fuisse lectos. Con-



trarium docet Nobilius ad quem provocat Autor Cl. cujus verba integra hic adducenda sunt. Ita ille ad verba: Sepulchrum patens &c. *Hæc & quæ sequuntur usq; ad, Nonne cognoscunt &c. absunt à plerisq; libris. Habent tamen Justinus & Psalteria, Romanum, Arabicum, Æthiopicum & S. Aug. In comm. græcis addita sunt margini cum hoc scholio, Οὐδαμῶς κείναι τῶν Ψαλμῶν ποθεν ἢ ἀπὸ τοῦ ἑλληνικοῦ ἐλήφθη ἀντιγραφή, ἢ τῆς ἑλληνικῆς* Nullibi in Psalms posita sunt, Unde autem Apostolus ea sumserit, quærendum. In alio Scholio referuntur ex Diodoro, Theodoro, Cyrillo, Didymo: *Sed additur, in Hexaplo non esse inventa. S. Cyprianus, in libr. de Zelo & timore, ea citat ex Apostolo. Non adducit hos versus Brylinger⁹, qui in præfatione asserit se post aliorum quorumcunq; seu emendationes seu castigationes longe omnium emendatissima plurimum adjutum esse. Nec adducit Weicheliana editio Francofurti Anno 1597. excusa, quæ ad v. 3. addit: Hæc verba nec in Hebræo comparent, nec in Hexaplo habebantur, Diodoro, Theodoro, Cyrillo, Didymoq; testibus; sed transsumta sunt ex Paulo, Rom. III. Margini ergo primū versionis LXX viralis fuere adscripta, post in ipsum textum tracta. Non ergo defectum in Hebræo textu sed abundantiam in versione indicant. Gnomonum peccata in Solem fatui rejicere solent. Ita pontificiorum nonnulli quod vulgata versionis autor peccavit, fontibus, tanquam si illi corrupti essent, solent transcribere, inquit ad h. l. Sixt. Amama in Antib. p. 706. Idem in hyperaspistas LXX viralis versionis non incommode dicitur. Cæterum 4. cæcum esse oportet, qui non videt Paulum v. 15. 16. 17. ex Es. LIX. 7. 8. depromisse. Non potest probari versus hosce unquam in Psalmo extitisse Proinde nec Esaias ex eo trassumfit in suum librum. Verba Cap. XII. 2. non tantum Ps. CXXVIII. 14. extant, sed &*

Exod.

Exod. XV. 2. quæ ergo certitudine asseri potest Esaiam
ea ex Psalmo potius quam ex Exodo citasse?

ESAIÆ XXI. II.

ONIS DUMA. Testatur Hieronymus quosdam Hebræo-
rum ROMA pro DUMA legere. *Necesse est ergo fuisse* p. 249. fin.
tunc complura exemplaria, in quibus falsa hæc lectio extaret. p. 253. pr.
Annon hæc insignis falsatio & horrenda infidelitas est, quam
supra nihil esse potest?

Resp. Si ponam invecam olim Hieronymi ætate
in quædam exemplaria fuisse hanc corruptelam, quid
inde? Privatorum quorundam codices falsati sunt,
non autem fontibus universalis inducta corruptio est.
De particulari autem quorundam exemplarium cor-
ruptione non est quæstio. Hodie nulla extat Hebræi
textus editio in quo *רומא* pro *דומא* legatur. Pro-
inde etiam, quod hunc locum attinet, integros adhuc
servamus codices. Sed expendemus verba Hierony-
mi, quæ Cl. Autor ex Commentario ejus in Abdiam
allegat. *Cæterum propter similitudinem litera, ex eo quod*
Resch & Daleth non multum inter se discrepent, quidam He-
bræorum ROMA pro DUMA legunt, volentes prophetiam contra
regnum Romanum dirigi &c. Quæ quæso fide hinc falsati-
o extorqueri potest? Quidam Hebræi Roma pro
Duma legunt. Quidam: Ergo non omnes: Legunt,
non tanquam scriptum, sed tanquam *παράδοξον*. Innu-
meræ sunt ejusmodi dictiones in Hebræis Scripturis,
quibus Judæi tanquam vehiculis doctrinam *πατροπα-*
ράδοξον imponunt. Sic i. Reg. XII. 16. pro *איש לאלהיו*
quisque se conferat ad tabernacula sua, legunt *איש לאלהיו*
quisque ad Deos suos, non quod ita scriptum putent fuisse,
sed ut doceant, X. tribus, dum discesserunt à domo
Davi-

Davidica, simul discessisse ad Idololatriam. Sic Prov. XXII. 9. *Oculus bonus יכורך הוא benedicetur.* Hic יכורך agnoscunt לזכורת דבר המקובר *pro signo ac memoriali rei tradite;* אל תקרי יכורך אלא יכורך *noli legere, jebborach, benedicetur, sed, jebbarech, benedicet,* הורו ר"ל כזה למשכילים, להבין הענין בשני דרכים שוותישב בם המקרא והמסורה *Hoc ipso Veteres docere volunt Sapientia amantes, quod duo significatus insint voci, quorum alterum habeat ex lectione, alterum ex traditione, Ir Gibb. fol. 31. col. 1.* Hujus commatis etiam vocabulum רומה est. Cum Judæi ubique per Edom Romanos intelligant, hujus suæ pravæ interpretationis memoriale arripuerunt voculam רומה *Duma* pro qua interventu levis mutationis legi potest רומה *Roma.* Non itaq; Judæi hanc voculam corruerunt, aut unquam corrumpere conati sunt, sed tanquam vehiculum traditionis ab antiquis acceptæ usurparunt. Et annon ipse Hieronymus hoc satis clare innuit, quum ita scribit in Abdiam: *Judæi frustra somniant contra urbem Romam regnumque Romanum hanc fieri prophetiam, & illud quod in Esaia scriptum est: Onus Duma, paulum literæ apice commutato, pro Daleth posse legi Resch, & sonare Romam, Vau quippe litera pro u & pro o eorum lingua accipitur.* Si Judæi censent pro ד posse legi ר, pro *Duma, Roma,* paulum literæ apice immutato, annon agnoscunt *Daleth* esse literam textus genuinam, non *Resch*? Si eam posse immutari censent, qua audacia infertur mutatam esse in compluribus exemplaribus? Quo ore asseritur immutationem illam fundamentum esse Judæis recentioribus, quod omnia vaticinia in Idumæos dicta unanimes consensu de Romanis interpretentur? Hæc hæcenus de locis Veteris Testamenti.

DN. PAULUS PEZRONUS ut porro ostendat Scripturam Hebræam Judæorum malitia esse corruptam, primo eam confert cum locis quibusdam Apocryphis: deinde affert quædam dicta Novi Testamenti, allegata à CHRISTO & Apostolis ex Veteri, confert illa cum textu Hebræo, monstrat difformitatem, & inde concludit Hebræum modernum textum esse corruptum. Mens ejus huc redit:

Versionis Græcæ Septuaginta-viralis usus fuit pervulgatus p. 154. m. inter Judæos, non tantum Ægyptios & Asiaticos, sed & Palæ- 155. fin. stinos, qui Hebræa callebant. Fuit itaque durante Republicâ Judaica maxime conformis Originali Hebræo. Cum autem eadem ab Hebræo moderno textu maxime discrepet, evidens est eum esse corruptum.

Resp. 1. Si concedam Græcam versionem quibusdam Judæis in Palæstina habitantibus inserviisse, non tamen ex usu illo inferri potest omnimoda Græci textus conformitas cum originali Hebræo. Græca lingua loquentibus inserviit, in formanda fide & vita. Quod autem inappellabilis fuerit credendorum agendorumq; Canon, quæ ratione probabitur? Sane dum deficit inappellabilitatis probatio, quo jure ipsi exacta cum Hebræo conformitas poterit assignari? Usus fuit Græcæ versionis in Synagogis Græcis, isq; non simplex, sed cum collatione Hebræi textus conjunctus. 2. Plebs Judaica in Palæstina habitans non Græca lingua loquebatur, sed Syriaca, seu Hierosolymitana. In ejus gratiam concinnatæ paraphrasæ Chaldaicæ, quia Hebræum textum non poterant intelligere sine interprete. Si Græca ipsis tam fuisset familiaris, quid opus fuisset

A

set

set paraphrasibus hisce Chaldaicis? Sed expendemus rationes asserti Pezroniani.

*Quod Palestini usi fuerint Græco codice patet 1. ex 1. Macc. III. 48. Expanderunt libros Legis de quibus scrutabantur Gen-
p. 154. fin. tes similitudines idolorum suorum. Scilicet Syro-Macedones
155. pr. Deastros suos conati sunt probare ex Scripturis S. Fuit ergo
LXX versio pervulgati usus inter Judæos in Palestina.*

Resp. Forma argumenti hæc est: Ex quo codice probare conabantur Macedones cultum Deastrorum suorum, eum expanderunt Judæi: Atqui ex LXX-virali versione probare cultum Deastrorum conabantur Græci. Ergo. Quis hic non continuo limitat Majorem? Idem materia codex Judæorum Gentiliumque manibus versabatur, non idem forma, idiomate, numero. Si hic inferendi mos valet, inverso argumento ostendam Macedones Hebræum textum tractasse. Quem enim codicem expanderunt Judæi, ex eo suos Deastros conabantur probare Macedones. Atqui Hebræum codicem expanderunt, quem Prophetæ ipsis tradiderant, quem Maccabæi domi forisque terebant usu quotidiano, utpote Levitæ, ut à moribus, ita & à lingua Græcorum alieni, qui in templo, in Synagogis lectitabatur, explicabatur: Ergo. Quodsi non potest concedi Macedonas textum Hebræum usu trivisse, annon dicendum est ipsos eundem quidem materia usurpasse codicem, at forma ac idiomate diversum? Impertinenter ergo hic locus allegatur ad probandum Judæis in Palæstina familiarem fuisse Græcæ Versionis usum.

*2. Septem Fratres Maccabæi una cum Matre usi sunt Græca
p. 155. med. versione; allegant enim eam 2. Macc. VII. 6. Dominus DEUS
aspiciet*

aspiciet veritatem & consolabitur in nobis, quemadmodum in
 protestatione Cantici declaravit Moses Deut. XXXII. 36.

καὶ ὁπὶ τοῖς δούλοις παρακληθήσεται, pro quibus verbis jam
 in Hebræo corrupte legitur: Et super servos suos pœnitebit cum.

Resp. 1. Quam iniqua illatio est: Oratio septem
 fratrum Maccabæorum, quæ sese una cum matre ad
 constantiam mutuo adhortati sunt, græco idiomate
 describitur: E. septem fratribus eorumq; Matri fami-
 liaris fuit Græcæ lingvæ usus? Verba septem Fratrum
 ab Autore libri citantur ex LXX virali versione: Ergo
 etiam ipsi ea ex Græca versione protulerunt, & non
 ex Hebræo textu? Autor libri Græco idiomate histo-
 riam Maccabæorum concinnabat; conveniens itaque
 erat ut in eo opere uteretur versione Græca. An inde
 sequitur etiam ipsos Maccabæos versionem usurpassè
 Græcam? Evangelistæ disputationes CHRISTI cum
 Pharisæis describentes; dicta ab ipso allata citant ex
 versione Græca: An inde inferri potest etiam Salva-
 torem adversus Pharisæorum superstitionem ex Græca
 versione disputasse? 2. Deut. XXXII. 36. extat עָרַוּ
וְיָחַסוּ. Montanus, ita ut Cl. Autor exhibet, tran-
 stulit. Servant eandem versionem Pagninus, Tre-
 mellius, Münsterus. Sensum pœnitendi & Amstælod.
 exprimunt, und er wird ihnen über seinen Knechten in
 andere Gedancken kommen. Contra consolandi sensum
 exprimunt Græci, quos sequitur Vulgatus & Syrus:
 DEUS super servis suis capiet solatium. Utrumq; sensum
 vocem admittere manifestum. Illum Num. XXIII. 19.
 habet. Hunc Ez. V. 13. Gen. XXVII. 42. XXXVII. 35.
 Quam inique ergo ex diversa vocis translatione cor-
 ruptio Hebræo textui affricatur?

A 2

3. 1. Macc.

3. I. Macc. VII. 17. *itidem citatur locus ex Psalm.*
p. 156. pr. LXXIX. 2. plane juxta Septuaginta-viralem versionem.

Resp. Quid tum? Ergone Maccabæi locuti sunt Græce? aut usi sunt LXX. Interpretum versione? Si Græcus scriptor citat dicta ex Græcis Interpretibus, quid hoc ad linguam Judæorum?

4. Sap. II. 12. legitur ἐνεδρεύσωμεν τὸν δίκαιον ὅτι δύσχη-
p. 156. med. 5. ἡμῖν ἐστὶ. Hic autor libri aperte imitatur Græcos, Es. III. 10.
Δύσωμεν τὸν δίκαιον ὅτι δύσχησται ἡμῖν ἐστὶ, neglecto textu He-
braeo qui hic plane alia habet.

Resp. Autor libri Sapientiae Hieronymi & Augustini sententia fuit Philo Alexandrinus, qui ut à teneris assuefactus erat versioni Græcæ, ita non mirum, quod ejus verba in suum librum transtulit. Instituerat Cl. Autor probare Judæis in Palæstina habitantibus fuisse familiarem Græcæ versionis usum: Quam ergo ab instituto alienum est Philonis exemplum, qui vixit in Ægypto? Cæterum quod Græci Hebræum textum hic perperam verterint, collatio Græcæ lectionis cum Hebræo textu ejusque connexionione primo intuitu probat.

Progredimur ad dicta Novi Testamenti, & primo quidem ad ea, quæ à Matthæo sunt ex Veteri allegata. Colligemus terminos Cl. Autoris:

p. 160. fin. *Quæ dicta Matthæus, qui Hebraice scripsit, ex V. T. citat ea sine omni dubio ex integro & incorrupto codice Hebræo citat. Atqui non citat ex moderno Hebræo codice, siquidem ab eo sunt plane difformia. Proinde modernus textus Hebræus non est integer. Contra citata maxime conformia sunt cum Græca LXX-Interpretum versione. Il faut donc de nécessité que l'Hebreu, dont se servoit cet Evangeliste fust alors conforme aux Septante au plustost que les Septante fussent entierement conformes a l'Hebreu.*

Resp.

Resp. Major propositio nititur quorundam Patrum asserto, Matthæum Evangelium suum scripsisse Hebraice. Nituntur Patres autoritate Papiæ, quem hoc affirmasse Eusebius testatur *Hist. Eccl. l. III. c. 36* Hunc secuti Irenæus, Origenes, Epiphanius, Hieronymus, &c. Hi ajunt, non autem probant. Chrysostomus, *mallem, inquit, extare, quam constare, in Matth.* Res est plurimæ incertitudinis. Græce non Hebraice scripsisse finis scribendi indicat, qui erat præcipue manifestatio CHRISTI inter Gentes. Dicit, in gratiam Hebræorum scripsisse testantur Patres. Theophylactus ait: *Matthæus omnium primus scripsit Evangelium Hebraico idiomate, ad eos, qui ex Hebræis crediderant, post octo annos assumti in caelos CHRISTI. Porro Johannes hoc ex Hebraica lingua in Græcam, ut ferunt, interpretatus est. Præf. ad Matth. conf. Euf. Hist. l. VI. 24.* Ergo scripsit Hebraice. Imo non scripsit Hebraice. Nam Hebraica lingua ea tempestate vulgo erat ignota, prorsus ut sine interpretatione non potuerit intelligere textum Hebræum; Quæ res originem dedit translationibus Hebræi textus chaldaicis. Parum ergo gratiæ à conversis Judæis iniisset Matthæus, si Evangelium suum ad ipsos scripsisset Hebraice, præcipue cum plerique eorum de plebe essent, non autem è numero Rabbiorum Sapientum hujus mundi, Hebraicam linguam adhuc callentium, *Epist. Jac. II. 5. 6.* Neque cogitandum est, Patres quando Matthæi Evangelium Lingua Hebraica consignatum censent, linguam Chaldæo-Syram intelligere, quæ Hebræa dicatur eo quod ejus temporis Hebræis in usu erat: ut *Job. V. 2. XIX. 13. Actor. XXI. 40. XXII. 2.* Si enim vernacula Judæis dialecto fuisset scriptum, sine

negotio à plebeio quovis potuisset intelligi. Jam vero scribit Papias: *μαθαί* μὲν ἑβραϊδὶ διαλέκτῳ τὰ λόγια συνεγράψατο, ἠρμήνευσε δὲ αὐτὰ ὡς ἠδύνατο ἕκαστος. *Matthæus quidem Hebraica dialecto oracula divina descripsit: interpretatus autem est ista unusquisque prout potuit, referente Eusebio Hist. Eccl. l. III. c. 36.* Ex quibus verbis apparet non parvam fuisse ex mente Papiæ Evangelii hujus interpretandi difficultatem. Proinde nec vernacula lingua scriptum esse potuit. Quod si Græca lingua ea ætate populo Hebræo ipsa Hebraica erat familiarior, prout censet Autor Reverendissimus, annon magis consentaneum est Matthæum ad devinciendos populares suos Græca dialecto scripsisse? Quid si Papias nimium credulus, prouti erat *σικκρός τὸν νοῦν Euf. Hist. l. XII. c. 36.* spurium Ebionitarum Evangelium quod Hebraice scriptum sub nomine Matthæi circumferebatur, pro vero Matthæi Evangelio arripuit? Ita sane censet Hottingerus *Thes. Phil. p. 513.* Cum extaret Evangelium Hebraicum, Matthæi nomine probatum falso, quo Nazoræi & Ebionæi utebantur, Papias ille & reliqui Patres eum secuti, opere illo Pseudo-Matthæi aut non viso, aut non examinato authenticum Matthæi falso crediderunt. Quod eo facilius fuit, quia plerique Patres Hebrææ lingua fuerunt imperiti, neque diligentes in eo inquirendo. Ipsum Hieronymum hæc obrepisse videtur incuria. Memorat suo adhuc tempore Evangelium Matthæi, Hebraicis literis verbisque compositum, asservatum fuisse in Bibliotheca Cæsariensi à Pamphilo Martyre studiosissime confecta. *Mibi, inquit, quoque à Nazaræis, qui in Berea, Urbe Syria, hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit.* Adducit hæc Lichtfootus *Hor. Hebr. in Matth. l.* & addit, Hieronymum

p. 160. fin.

mum sibi imponi passum : Fuisse quidem hoc Evan-
 gelium Matthæi, at non autographum, sed ab alio è
 fonte græco in Hebræum versum, ut sic à doctis Judæis,
 si fieri posset, legi obtineret. *Evangelium hoc, ait, Græce*
à Matthæo scriptum arbitror ab credentes in Judæa, & Hebraice
ab aliquo versum ob non credentes. Atque hoc facile fit
 verisimile, siquidem & Evangelium secundum Johan-
 nem & Acta Apostolorum suo seculo Hebraice scripta
 commemorat Epiphanius, & à quodam Josepho Judæo-
 rum Patriarcha in Tiberiade urbe tempore Constan-
 tini M. reperta Christianisque liberaliter fuisse com-
 municata. Alii malunt Hebræum Matthæi Evan-
 gelium, quod Hieronymo à Nazaræis commodatum,
 scriptum illud Apocryphum fuisse, quod falso Matthæo
 à Nazaræis tributum, vid. Cramerii *Arbor Cons. Hæret.*
c. V. pag. 78. Hoc certum est Hieronymum ineptas
 quasdam & impias sententias ex Hebraico Matthæi
 Evangelio citare in *Mich. VII. & Esa. XI.* An eas Mat-
 thæo adscribemus? In *Mich. VII. 4.* citat hoc Evange-
 lium ita : *In Evangelio quod secundum Hebræos editum nuper*
translulimus ex persona Salvatoris dicitur : Modo tulit me mater
mea, Sanctus Spiritus in uno capillorum meorum. In *Es. XI. 1.*
 idem ita citat : *In Evangelio, quod Hebræo sermone scriptum*
legunt Nazaræi, hæc scripta reperimus : Factum est, ut cum
ascendisset Dominus de aqua, descendit fons omnis Spiritus S.
& requievit super eum & dixit illi : Fili mi in omnibus Pro-
phetis expectabam te, ut venirem & requiescerem in te. Tu es
enim requies mea : Tu es filius meus primogenitus, qui regnas in
sempiternum. In Volumine Epistolarum Hieronymi *Tract.*
II. Part. II. Ep. 23. Chromatius & Heliodorus, Episcopi,
 petunt ab Hieronymo, ut Hebraicum Evangelium
 Matthæi

Matthæi vertat in sermonem latinum : *Ortum Maria, inqviunt, regine virginis, simul & natiuitatum ac infantiam D. n. J. CHRISTI in Apocryphis inuenimus libris. In quibus multa contraria nostre fidei considerantes scripta recusanda credimus uniuersa, ne per occasionem CHRISTI latitiam Anti-Christo traderemus. Ista itaqve nobis considerantibus extiterunt viri DEI Armenius & Virinus, qui dicerent sanctitatem tuam beatissimi Matthæi Evangelista manu scriptum volumen Hebraicum inuenisse, in quo & Virginis Matris & Salvatoris infantia esset scripta : Et idcirco tuam sanctitatem per ipsum D. n. J. CHRISTUM exdetimus, quatenus & illud ex Hebræo latinis auribus tradas. Ad hanc epistolam rescripsit Hieronymus, non posse se transferre, quod nec ipse S. Matthæus Apostolus & Evangelista voluit in aprico conscribi. Si enim, inquit, hoc secretum non esset, Evangelio utiqve ipsius quod edidit addidisset, sed fecit hunc librum Hebraicis literis obsignatum, quem usq; adeo edidit, ut & manu ipsius liber scriptus Hebraicis literis à Viris religiosissimis habeatur, qui etiam à suis prioribus per successus temporum susceperunt. Hunc autem ipsum librum nunquam alicui transferendum tradiderunt, textum eius aliter atq; aliter narraverunt. Sed factum est ut à Manishæi discipulo nomine Seleuco, qui etiam Apostolorum gesta falso sermone conscripsit, hic liber editus non edificationi, sed destructioni materiam exhibuerit. Videtur distinguere S. Pater inter Evangelium Matthæi publicatum & occultatum. Illud Hebraicis literis consignitum arbitratur, in quo etiam infantia CHRISTI sit descripta, quod & à Selauco sit interpolatum. Hoc græce editum versari nostris manibus. At enimvero si Matthæus descripsit infantiam CHRISTI quare illam non voluit ab omnibus legi? an pro solis religiosis scripsit?*
Evidens

Evidens est, iudicium Hieronymi parum hic habere ponderis. Allegatæ illæ sententiæ certe Matthæi esse non possunt. Quod si fuit aliquod Evangelium Hebraicum, quod Matthæo tributum, traductum illud esse ex Græco fonte verisimile est. Ut rem in pauca conferam : Evangelium Matthæi Hebraicum, quod Nazaræi Hieronymo exhibuerunt, aut spurium fuit, aut genuinum. Si illud, nihil probat : Si genuinum, aut fuit traductum, aut originale. Si illud, itidem nihil probat. Si originale, quis crederet primitivæ Ecclesiæ Antistites tantum *κεμήλιον* tam turpiter neglecturos fuisse, ut illud relinquerent Hæreticorum manibus corrumpendum ac adulterandum ? Pessimi certe custodes fuissent *τῶν λογίων τῆ θεῆς*, quod quis de primitivæ Ecclesiæ Doctoribus tam circumspectis cogitaret ? Ex his patet quam nullo fundamento nitatur assertio, Matthæum Evangelium suum Hebraico idiomate primitus scripsisse. Ut autem hoc assertum corrui, ita simul cessat quæstio, quoniam exemplari Hebræo usus sit Matthæus in allegandis dictis, corruptone an integro. Si enim græce scripsit, ex LXX. Interpretum versione citasse dicta manifestum est.

2. Minor est : Atqui non citavit ea ex Hebræo moderno codice : Id quod probat collatio. Mire discrepant à textu Hebræo, contra apprimè conveniunt cum Græco. Ergo Græca versio quam exactissime expressit textum Hebræum Originalem, primævum, & jam deperditum. Enimvero facile corrui totum hoc ædificium, quia Cl. Autor nec probavit, nec unquam probare poterit, Matthæum sermone Hebræo scripsisse.

B

Huic

Huic enim soli fundamento totum superstructum est. Quia ergo S. Matthæus græce scripsit, & quidem non Hebræis solum, sed omnibus Gentibus, quibus Græca lingua erat familiaris, quibus etiam LXX versio trita erat, ideoque ex illa sua dicta citavit. Sed ponderabimus institutam collationem.

MATTH. IV. 4.

Text. Matth.

Versio Græca.

p. 157. med.

Non in pane solo vivet homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore DEI.

Οὐκ ἐπ' ἄρτω μόνω ζήσεται ὁ ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐν παντί ῥήματι τῷ ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος Θεοῦ, Deut. VIII. 3

IN moderno textu Hebræo deest IN OMNI VERBO, in quo præcipue vis & venustas responsi CHRISTI consistit. Ergo ille est corruptus.

Resp. In moderno Hebræo extat על כל מוצא פי ה' quod ipse Vulgatus transtulit: sed in omni verbo quod egreditur de ore Domini. Nihil ergo in Hebræo deficere Vulgatus judicavit. Quid est על כל מוצא פי ה' egressio oris Domini? Respondet Chaldæus כל מפקות ה' omnis egressio verbi à Domino, AbenEfra id quod decrevit ut Esth. VII. 8. verbum prodiit ex ore Regis. An quidquam aliud ex ore DEI egredi potest, quam verbum, decretum? Conf. Esa. LV. 11. XLVIII. 3. Jer. XLIV. 17. Dan. IX. 25. Notæ sunt locutiones מוצא פיה egressum oris, מוצא שפתים egressum labiorum, Deut. XXIII. 24. & exponuntur per דבר ווצא מפה verbum, quod egreditur ex ore, Es. LV. 11. Jer. XLIV. 17. Qvis est tam hospes in literatura Hebræa, qui in iis falsationem suspicetur? Aut an LXX Interpretes tam serviliter adhæserunt literæ, ut ver-

ut verbotim omnia verterint? Si hoc: annon etiam culpandum, quod יהוה מפי יהוה transtulerunt διὰ σήμας θεοῦ & non κυρίως ut alias consuevere? Phrasin Hebræam, quæ in moderno textu est, legitime & juxta ductum textus Hebræi expressere Interpretes, adeoque sua hac versione integritatem moderni textus approbarunt.

MATTH. IV. 7.

Text.	Vers. Gr.
Non tentabis DOMINUM DEUM Tuum.	ὄυκ ἐκπειράσεις κύριον τὸν θεόν σς.

IN moderno Hebræo est Deut. VI. 16. NON TENTABITIS DOMINUM DEUM VESTRUM. Ergo est corruptus. p.157. med

Resp. Nodum in scirpo quærit Vir Clarissimus. Indoles Hebrææ lingvæ est, ut quando de tota gente loquitur, modo in singulari, modo in plurali de ea loquatur. Quæ permutatio per totum hoc caput conspicua est. Kimchi Es. XXVI. 8. כשמדבר על לשון ישראל פעמים מדבר כלשון רבים על רך פרט ופעמים בלשון יחיד Cum de Israël sermo est, interdum Scriptura de eo loquitur in numero plurali sensu distributivo, interdum in singulari. Quod Græci hic singularem maluerunt retinere, suæ id indulserunt licentiæ. Non in diversis tantum versibus, sed & in uno sæpe hanc enallagen observat Hebræus textus. Exempla sunt v. 16. 20. 21. Imitati idem Græci in hoc versu: ὄυκ ἐκπειράσεις κύριον τὸν θεόν σς ὄν τρώπων ἐκπειράσασθε ἐν ᾧ πειρασμῶ. Annon, dum posterius comma in plurali efferunt, etiam in priori pluralem numerum locum habere posse annuunt? Quid quæso lucri abstulissent, si hic quidquam mutassent Judæi?



Text.

Verf. Gr.

p. 157. fin.
p. 158. pr.
med.

*Auditu audietis & non intel-
ligetis : & videntes videbitis,
& non videbitis : Incrasatum
enim est cor populi huius, &
auribus graviter audierunt, &
oculos suos clauserunt : ne quan-
do videant oculis suis & auribus
audiant, & corde intelligant &
convertantur & sanem eos.*

Ἀκοὴ ἀκούσετε καὶ ἐμὴ συνήτε
καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ ἐμὴ
ἴδητε. Ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία
τῶ λαῶ τούτου, καὶ τοῖς ὠσὶν αὐτῶν
βαρέως ἤκουσαν, καὶ τὰς ὀφθαλ-
μοὺς ἐκάμμυσαν, μή ποτε ἴδωσι
τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶ ἀκού-
σωσι, καὶ τῇ καρδίᾳ συνῶσι, καὶ
ἐπιστρέψωσι, καὶ ἰάσωμαι αὐτούς.

Alia plane ab his sunt verba moderni textus Hebraei, quae
DEUM faciunt autorem caecitatis & indurationis Judaeo-
rum : AUDITE AUDIENDO ET NE INTELLIGATIS &c.
IMPINGVA COR POPULI HUIJUS, ET AURES EJUS
AGGRAVA, ET OCULOS EJUS CLAUDE, NE FORTE
VIDEANT, &c. Nullo modo DEUS ita locutus est per Pro-
phetam, sed ita ut in Evangelio adhuc legitur. Conf. Actor.
XXVIII. 26. 27. Quae verba cum verbotim conveniant cum
LXX virali versione, apparet eam esse textum genuinum.

Resp. Quid si eundem sensum, quem Matthaei &
Græcorum verba exhibent, etiam tenet textus He-
braeus modernus? Discrepent sane verba, sufficit si
p. 163. pr. sensus non discrepat. Hieronymus ait : In multis non
verborum ordinem secuti sunt Graeci, sed sensum. D. Kimchi
agnoscit hic enallagen imperativi pro infinitivo, & addit
לֵךְ שֶׁהֵם הַשְׁמִינוּ אֹזְנוֹ וְהַכְבִּירוּ אֶת לִבָּם וְהִסְתִּירוּ עֵינֵיהֶם שְׁלָה יְרֵאוּ וְשָׁלַה וְכִינוּ
cor suum, ipsimet obdurabunt aures suas, obvelabunt oculos suos,
ne videant aut intelligant, in h. l. Conf. Michlal Jophi
in h. l. Versio Amstael. apprime congruit cum Mat-
thæo :

thæo : Hörend send ihr wol hören : aber ihr prüfet nit : wenn schon ihr die Gesichte sehet / so bekend ihr doch nit. Dies Volk thun ihr Herz als wie schmer verfeisten und ihre Ohren als schmer beschweren : und ihre Augen thun sie zustreichen / um daß es nit sehe mit seine Augen / noch mit seine Ohren höret / noch mit seines Herz versteht / daß es sich wieder umkehret (zu Gottes Dienst) daß ihm geheilet werde (von Kranckheiten und Schwachheit ihrer Seel.) Annon hæc verba diserte à DEO remouvent omnem excœcationis & indurationis culpam. ? annon eam clare adscribunt homini ? Atqvi hæc versio est Hebræi moderni textus. Aut bene transtulerunt Judæi aut male. Si male, ostendat Cl. Autor in quo peccaverint, qvi per omnia Kimchium secuti, quem ipse Autor Cl. Principem Grammaticorum appellat. Si bene, quo ore asserere potest modernum Hebræum textum DEO adscribere autoritatem peccandi?

MATTH. XV. 7.

Text.

Verf. Gr.

Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum procul est à me. Sine causa vero colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.

Ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος ἐν τῷ στόματι αὐτῶν καὶ ἐν τοῖς χεῖλεσιν αὐτῶν τιμῶσίν με, ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόρρω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ. Μάτην δὲ σέβονται με διδάσκαλοι ἐντέλματα ἀνθρώπων, καὶ διδασκαλίας.

p. 158. fin.
p. 159. pr.
med.

Vis argumenti CHRISTI consistit in vocula μάτην FRUSTRA, quam frustra jam quæras in moderno Hebræo codice, tantopere b. l. depravato, ut verba ejus intelligi non possint : ET FUIT TIMOR EORUM ME MANDATUM HOMINUM EDOCTUM. ES. XXIX. 13. Olim scriptum fuit VETOHU, pro quo postea positum VATTEHI. Resp.



Resp. 1. Si tanta argumentandi vis est in *FRUSTRA*, perdidit eam, hic quoque vulgata, quæ vertit: *Et timuerunt me mandato hominum & doctrinis*. Annon ergo temere ipsi adscripta *ἀνθρώπινα* est à Patribus Tridentinis? Negat Salvator Phariseos verum DEOque placentem cultum habere. Infert ita: Qui traditionibus humanis nituntur, illi non habent verum DEI cultum: Atqui Vos &c. E. Minorem posuerat *Matth. XV. 3. 6.* Majorem probat ex *Es. XXIX. 13.* *Cor populi longe à me remotum est, siquidem religio ejus quæ me colunt non nisi humana traditio est.* Abarb. *מִצְוַת מַפְתַּח הַחַרְגָל לֹא מִכּוּוֹנַת הַלֵּב* *cultus consuetudinis, non ex vera animi intentione proficiens.* Qui cultus traditionibus humanis nititur, non nititur DEI verbo: qui non nititur verbo DEI, expers est veræ fidei, qui expers fidei est, vanus est. Ergo qui humanis traditionibus nititur vanus cultus est. Res in se evidens est: perspicuitatis gratia addiderunt Græci *μάτην*. Conf. *Pf. II. 1. IV. 3. Es. XXX. 7. 2.* Sine ratione hic Hebræo textui inexplicabilis obscuritas affingitur. Nomen verbale in eo constructum est cum accusativo *יִרְאֵתָם אוֹתִי* *timor me*, i. e. timor mei. Modus loquendi ne Latinis quidem ignotus. Ita Terentius: *Quid tibi hanc tactio est? Quid tibi ad has fores accessio est?* Idiotismus hic non raro occurrit in Hebræo codice. Exempla exhibet Glassius p. 161. 162. Intelligitur religio, cultus DEI. Hic vocatur *מִצְוַת אֲנָשִׁים מְלֻמְדָה* *præceptum hominum doctum*, i. e. doctrina humana multis subtilitatibus referta, *μὴ δὲ σῆσοσφισμένῃ*, *2. Petr. 1. 16.* Conf. *Jer. XXXI. 31. Hebr. VIII. 11.* Atque talis cultus non tribuitur tantum Doctoribus, sed toti populo: *Populus hic appropinquat, &c.* LXX Interpretes eum perperam ad

ad solos docentes restrinxerunt : μάτην σέβονταί με διδάσκοντες ἐν ἰαλίμαθα ἀνθρώπων, & addunt καὶ διδασκαλίας. An hac voce satis exhausserint emphasin vocis ἰαλίμαθ, lectori dijudicandum relinquo. Salvator, cui res erat cum Phariseis textum Hebræum callentibus, citra controversiam Hebræi textus verba ipsis ingessit. Matthæus contra, qui historiam hanc Judæis pariter & Gentibus consignavit, verba ex Græca versione citavit, etsi non parum immutata, ut collatio ostendit. Et quoniam in Hebræo de toto populo sermo est, non de Doctoribus tantum, tamen quia verbis his Salvator ad confundendos potissimum Phariseos usus erat, visa sunt ipsi ad hoc significandum sufficere. 3. וְהָיָה אֲנִי לְכַלֵּב וְלִקְנָזִים & frustra olim lectum fuisse, & pro eo וְהָיָה אֲנִי לְכַלֵּב & fuit postea scriptum, inanis conjectura est. Legi debuisset וְהָיָה אֲנִי לְכַלֵּב ut וְהָיָה אֲנִי לְכַלֵּב in vanum Es. XLIX. 4. Pone Judæos textum ita mutasse, quid inde retulerunt commodi?

MATTH. XXI. 16.

Text.

Verf. Græca.

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.

Ἐκ στήματος νηπίων καὶ θηλασζόντων κατήρτισσα αἶνον.

IN Hebræo est EX ORE FUNDASTI ROBUR. Nihil in his verbis de laude infantum.

Resp. Barbaro hæc locutio barbara est, at Hebræo elegantissima. Explicuimus eam jam supra, p. 9. 10. Ut Es. XXXVIII. 17. amasti animam meam è fovea, est, ita amasti, ut eam educeres è fovea. Amstel. Du hast gelóset meine Seel / daß sie in die Grube der Verderbung nicht kommen: Ut Ps. XXII. 21. Ex cornibus procerorum me exaudi, est, exauditum me libera à cornibus: ita quoque, fundasti robur ex ore, est, fundasti robur in corde

corde infantum, quod efferretur ore. Conf. Exod. XV. 2. Nihilne ergo hic de laude puerorum? *ἄννη ἐκ περισσέυματι* της καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ, Luc. VI. 35.

Sola hæc quinque loca Cl. Autor ex S. Matthæo adducit, quæ à moderno Hebræo textu longe discrepant. Nos probavimus nullam esse discrepantiam in sensu, dummodo evolvatur lingvæ idiotismus. Quod si autem discrepantia in literis & verbis culpanda est, quid non culpandum erit in LXX Interpretibus, qui plerumque magis sensum respexerunt, quam verba? Recte Horatius:

Non verbum verbo curabit reddere fidus

Interpres.

Quod si discrepantia est, verbalis illa est, non realis. Quo autem jure ex literalis discrepantia suspicanda corruptio est? Sed cum Cl. Autor tantopere allaboret, ut monstrata convenientia Matthæi & Græcorum Interpretum moderni Hebræi textus impuritatem ac corruptionem evincat, tanquam à Græco textu longissime discedentis, operæ pretium videtur esse, adductis aliquot locis ex Matthæo probare, quod hic Sanctus Scriptor non semper secutus sit LXX Interpretes, sed sæpissime ab iis abierit, ubi ipsos non satis legitime transtulisse Hebræum textum animadvertit. Atque ut difformitas prima fronte appareat, opponemus textus.

ΜΑΤΤΗ. Ι. 21.

LXX.

Matth.

Ἰδὲ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ
λήψει υἱόν, καὶ καλέσει τὸ ὄνομα
αὐτῆς Ἐμμανὴλ.

Ἰδὲ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ
ἔξει, καὶ τέξεται υἱόν, καὶ καλέσασσι
τὸ ὄνομα αὐτῆς Ἐμμανὴλ.

In.

In Hebræo est *הנה העלמה הרה וילדת בן* *ecce Virgo*
gravida est, & pariet filium. Græci verterunt *ἐν γαστρὶ λήψεται υἱὸν, accipiet filium in utero,* de partu nihil exprimentes.
 Matthæus correxit juxta Hebræum: *Habebit in utero, & pariet.* Deinde in Hebræo est *וְשֵׁם וְקָרָא* *& vocabit nomen ejus.* LXX reddunt *ἢ καλέσεις, & vocabis.* Quemnam compellant, virginemne? At hæc intolerabilis foret apostrophe: an Achasum? Si hoc, bis peccarunt: Nam 1. formam fœmininam Hebrææ vocis ad Regem retulerunt; 2. Judaicum errorem de partu Conjugis juvenulæ, vel Achasi, vel Prophetæ stabiliverunt. Nisi enim ea supponatur, quomodo Achas nato puero nomen imponere potuisset? Corrigit itaqve Matthæus & hic Græcos, dum vertit *καλέσασι*, sensum respiciens non literam. Hebræum *קָרָא* fœm. tertiæ personæ est, pro *קָרָא* ut *Deut. XXXI. 29.* Confer similem formam *קָרָא* & peccabit f. *Exod. V. 16.* Amstælod. recte: *Dass sie (die Mutter) sein Nahme Immanuel wird heissen.* Dum autem singulare verbum in plurali effert, indicare vult, quod Propheta beatam Matrem filium Immanuelem vocaturam esse prædixit, non intelligendum esse de nomine proprio, quod Matribus solenne erat filiis dare, (*היה מנהג כי האמות קוראות שם לבניהם* *mos erat Matribus imponere filiis nomina*, Kimch. in l. Es.) sed de nomine officii, quod ipsum vera fide agnitura esset pro Immanuele suo, uti cœteri credentes omnes. Eum sensum Prophetæ animadvertit quoque vulgatus, vertens impersonaliter *vocabitur: Syrus וְקָרָא & vocabitur.*

LXX Mich. V. 1.

Matth. II. 6.

*Καὶ σὺ βηθλεὲμ ὁ οἶκος εὐ- Καὶ σὺ βηθλεὲμ, γῆ ἰσραὴλ,
 Φραζᾶ, ὀλιγίστος εἶ τῶ εἶναι ἐν ἑδάμῳς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγε-
 C χιλίο-*

χιλίασιν ἰσραὴλ, ἐκ σὺ μοὶ ἐξε- μύοσιν ἰσραὴλ. Ἐκ σὺ γὰρ ἐξελεύ-
 λεύσειαι τὴ εἶναι εἰς ἀρχοντῶν σείλαι ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαὸν με-
 τὰ ἰσραὴλ. τὸν ἰσραὴλ.

Discrepantia hic manifesta est inter versionem Græcam & textum Matthæi. Unius tantum discrepantiæ rationem inquiramus. Videntur LXX non satis exhaustisse emphasin, quæ est in Hebræo תוהו ויגע הוהו כאלפי, Est in hoc commate observanda ellipsis interrogativi ויגע Num tu nimis exigua habereris, quæ esses in numero Ducum Juda? Contemptum non vera ratione, sed opinione, nitentem hic innui, etiam Amstælod. versio indicat: Du wirst wenig geachtet / um zu seyn unter die tausenden Jehuda / non transfert du bist wenig / sed du wirst wenig geachtet. Prætextus contemptui quærebatur ex eo, quod Ruth Moabitis ingrederetur Davidis familiam, notante R. Salomone. Hinc familia Davidis quibusdam erat contemptui, quia nempe extraneo sanguine erat infecta. Tantum jam Michæ tempore in externo nativitatis decore ponebatur! Conf. *Matth. III. 9.* Hanc profanam opinionem profligat Spiritus S. emphatica interrogatione: Solt man dich zu gering achten / zu seyn unter den Fürsten Juda? Nein / keines weges / denn aus dir soll mir kommen / &c. Hujus æquivollentem ponit S. Matthæus: οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἰ ἐν ἡγεμόσιν ἰσραὴλ, &c. Hanc emphasin dum exprimere neglexerunt LXX, aperte contradictoriam exhibent in sua versione. S. Matthæus Bethlehemum negat esse exiguam: LXX affirmant esse exiguam. Utrius ergo versio vera? an Græcorum? μή γένοιτο. Male ergo hic transtulerunt textum Græci Interpretes.

LXX.



LXX.

Ἐξ Αἰγύπτου μετ' ἐκάλεσεν τὰ τέκνα αὐτοῦ.

Matth. II. 15.

Ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσεν τὸν υἱόν μου.

Volebat S. Matthæus ostendere idem evenisse JESU CHRISTO Primogenito DEI per naturam, quod olim acciderat Israëli primogenito DEI per gratiam. Proinde citabat dictum ex *Hos. XI. 1.* וְנָבִל יִתְנַחֵם מִצְרָיִם *Ex Ægypto vocavi filium meum.* LXX verterant τὰ τέκνα αὐτοῦ, quasi legissent וְנָבִל *filios eius.* Corrigit itaque ipsos Matthæus, ita vertens prout hodie est in Hebræo.

LXX. Jer. XXXI. 15.

Φωνὴ ἐν Ῥαμᾷ ἠκύβηθ θρήνη καὶ κλαυθμῶν Ῥαχὴλ ἀπκλαιομένη ὅτι τῶν υἱῶν αὐτῆς καὶ ἔκ ἠθέλησε παρακληθῆναι, ὅτι ἔκ εἰσίν.

Matth. II. 17. 18.

Φωνὴ ἐν Ῥαμᾷ ἠκύβηθ θρήνη καὶ κλαυθμῶν καὶ ὀδυρμῶν πολλῶν Ῥαχὴλ κλαίσει τὰ τέκνα αὐτοῦ καὶ ἔκ ἠθελε παρακληθῆναι, ὅτι ἔκ εἰσίν.

IN Hebræo לִרְבּ ita ponitur ut æque in absoluto statu accipi possit ac in constructo. Constructum expriment LXX, repetentes de integro ad וְנָבִל / Absolutum vero Matthæus. Versioni S. Matthæi adstipulatur Amstælod. versio. Da ist eine Stime worden gehoret in Rama : Klage / ein sehr bitterlich Gewein / κ. Non hic erat necessitas Matthæo abeundi à LXX Interpretibus, & tamen à litera ipsorum discedit, quod certe non fecisset si unquam in animo habuisset LXX virali versione authentian sua allegatione conciliare. Deinde LXX Hebræum וְנָבִל reddunt ἀπκλαιομένη. Matthæus simpliciter κλαίσει. Est in Piel intensiva significatio. Eam exprimere voluisse videntur LXX, siquidem ἀπκλαιεσθαι, est, uberi fletu se exfatiare, flendi desiderio satisfacere. Matthæus negligit hanc emphasin, & ut nihilo-



minus intensivum fletum exprimat ad ὀδυρμὸς addit πλὺς, sua utens libertate. Annon ipsum dicas dedita opera hic deseruisse Græcos, ne nævos versionis ipsorum alibi occurrentes videretur approbare? Idem in sequente loco observandum.

LXX. Ef. XL. 3.

Φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἐτοιμάσατε τὴν ὁδὸν κυρίου, ἐυθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους τῆς θεῆς ἡμῶν.

LXX. Deut. VI. 13.

Κύριον τὸν θεὸν φοβηθήσῃ καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.

Matth. III. 3.

Φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν κυρίου, ἐυθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ.

Matth. IV. 10.

Κύριον τὸν θεὸν σου προσκυνήσεις καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.

IN Hebræo est **קִיָּא דְעִלְמָא** *DEUM Tuum*. Græci omiserunt *Tuum*, quod proinde supplet Matthæus ex Hebræo. Neque id temere: Hæc enim determinatio supponit agnitionem beneficiorum DEI in colente, sine qua cultus legitimus esse nequit. Porro Græci Hebræum **קִיָּא** recte transtulerunt **φοβηθήσῃ**. Discessit ab iis Matthæus vertens **προσκυνήσεις**. Addunt Græci **μόνῳ**, quod non legitur in Hebræo. Amplectitur hoc & Matthæus, ut significet bono interpreti non tam esse laborandum in vertenda litera, quam in exprimendo sensu.

LXX. Ef. IX. 1.

Ταχὺ πῖει χώρα ζαβουλῶν ἢ γῆ νεφθαλεὶμ, καὶ οἱ λοιποὶ οἱ τὴν παραλίαν καὶ πέραν τῆς Ἰορδάνης, γαλιλαία τῶν ἐθνῶν. Ὁ λαὸς ὁ πρηνόμενος ἐν σκότει, ἴδε φῶς μέγα, οἱ κατοικῆτες ἐν χώρᾳ καὶ σκιά θανάτου φῶς λάμψει ἐφ' ὑμῶν.

Matth. IV. 15. 16.

Γῆ ζαβουλῶν καὶ γῆ νεφθαλεὶμ, ὁδὸν θαλάσσης, πέραν Ἰορδάνης, γαλιλαία ἐθνῶν. Ὁ λαὸς ὁ καθημένος ἐν σκότει εἶδε φῶς μέγα, καὶ τοῖς καθημένοις ἐν χώρᾳ καὶ σκιά θανάτου φῶς ἀνέτειλεν αὐτοῖς.

Cum

CUM LXX viralis versio hic plane corrumpere videretur textum Prophetæ, ea in illum inferens, de quibus Prophetæ non venerat in mentem, nempe: *Hoc primum cito bibe. Velociter fac regio Zabulon, &c.* visum est S. Matthæo ipsum Hebræum textum evolvere, atq; ex eo verba Prophetæ, quousq; ad institutum suum facere videbantur, allegare. Non attendita itaq; Græca versione, pro suo arbitrio transtulit verba Hebræa: aperte quoq; corrigit Græcos, qui pro $\alpha\mu\alpha\rho\tau\iota\alpha$ quod in Hebræo est, legerant $\epsilon\phi' \upsilon\mu\alpha\varsigma$. Utrinam ergo S. Matthæus sua allegatione $\alpha\upsilon\theta\epsilon\upsilon\tau\iota\alpha\upsilon$ adscribit, Græcone an moderno Hebræo textui?

LXX. Es. LIII. 4.

Matth. VIII. 17.

$\text{O}\tilde{\upsilon}\tau\text{e}\tilde{\nu}$ $\tau\acute{\iota}\varsigma$ $\alpha\mu\alpha\rho\tau\iota\alpha\varsigma$ $\upsilon\mu\omega\tilde{\nu}$ $\text{A}\tilde{\upsilon}\tau\acute{\omicron}\varsigma$ $\tau\acute{\iota}\varsigma$ $\alpha\iota\varsigma\epsilon\upsilon\epsilon\iota\alpha\varsigma$ $\eta\mu\omega\tilde{\nu}$ $\epsilon\lambda\alpha\beta\epsilon$
 $\phi\acute{\epsilon}\rho\epsilon\iota$ $\kappa\alpha\iota$ $\omega\epsilon$. $\eta\mu\omega\tilde{\nu}$ $\acute{\omicron}\delta\upsilon\tilde{\nu}\alpha\tau\alpha\iota$. $\kappa\alpha\iota$ $\tau\acute{\iota}\varsigma$ $\nu\acute{\omicron}\sigma\chi\epsilon\varsigma$ $\epsilon\beta\acute{\alpha}\sigma\tau\epsilon\upsilon\sigma\epsilon\upsilon$.

Græci sensum expresserunt non literam, quod minime culpamus. Interim Matthæo hic deferendi videbantur, quod litera moderni Hebræi textus magis videbatur servire instituto suo. Probare vult Salvatorem sanare morbos vi meriti sui. Hinc allegat verba Prophetæ, innuitq; virtutem mortis CHRISTI non subsistere in tollendis mortis animæ, sed & ad ipsos corporis morbos sese extendere. Ut hanc latitudinem ostendat arcte retinet verba textus Hebræi, disceditq; à Græcis, qui textualis vocis significatum constringebant.

LXX. Hof. VI. 6.

Matth. IX. 13. XII. 7.

$\text{E}\tilde{\lambda}\epsilon\tilde{\theta}\omega$ $\theta\acute{\epsilon}\lambda\omega$ $\kappa\alpha\iota$ ϵ $\theta\upsilon\sigma\iota\alpha\tilde{\nu}$.

$\text{E}\tilde{\lambda}\epsilon\theta\omega$ $\theta\acute{\epsilon}\lambda\omega$ $\kappa\alpha\iota$ ϵ $\theta\upsilon\sigma\iota\alpha\tilde{\nu}$.

LXX. Mich. VII. 6.

Matth. X. 36.

$\text{E}\chi\theta\rho\acute{\iota}$ $\pi\alpha\tilde{\nu}\tau\acute{\omicron}\varsigma$ $\alpha\tilde{\nu}\theta\rho\acute{\omega}\varsigma$ $\acute{\omicron}\iota$ $\epsilon\tilde{\nu}$ $\tau\tilde{\omega}$
 $\acute{\omicron}\iota\kappa\omega$ $\eta\tilde{\upsilon}\tilde{\iota}\tilde{\varsigma}$.

$\text{E}\chi\theta\rho\acute{\iota}$ $\tau\tilde{\omega}$ $\alpha\tilde{\nu}\theta\rho\acute{\omega}\tau\omega\varsigma$ $\acute{\omicron}\iota$ $\acute{\omicron}\iota\kappa\iota\alpha\tilde{\nu}$
 $\kappa\acute{\omicron}\iota$ $\alpha\tilde{\upsilon}\tilde{\iota}\tilde{\varsigma}$.

LXX. Mal. III. 1.

Matth. XI. 10.

$\text{I}\delta\tilde{\epsilon}$ $\epsilon\tilde{\zeta}$ $\alpha\pi\acute{\omicron}\sigma\epsilon\lambda\lambda\omega$ $\tau\acute{\omicron}\tilde{\nu}$ $\acute{\alpha}\gamma\gamma\epsilon\lambda\acute{\omicron}\tilde{\nu}$

$\text{I}\delta\tilde{\epsilon}$, $\epsilon\tilde{\gamma}\omega$ $\acute{\alpha}\pi\acute{\omicron}\sigma\epsilon\lambda\lambda\omega$ $\tau\acute{\omicron}\tilde{\nu}$ $\acute{\alpha}\gamma\gamma\epsilon\lambda\acute{\omicron}\tilde{\nu}$

C 3

μ 8,

μα, καὶ ἐπιβλέψεται ὁδὸν πρὸ προσώπων μα. μα πρὸ προσώπων συνὸς κατασκευάσει τὴν ὁδὸν σε ἐμπροσθέν σε.

Pari modo & Lucas dictum allegat Cap. VII. 27. Græci primam personam exprimunt. *Mitto Angelum meum ante te*, quæ etiam in Hebræo textu est: Matthæus & Lucas secundam personam. *Mitto Angelum meum ante te*. Sine dubio ita CHRISTUS protulerat, ut ipsi allegant, quæ ut significaret eandem suam & Patris essentiam eandemque viam esse, à litera Hebræi textus discessit, sensum secutus.

LXX. Ef. XLII. 1. 2. 3. 4.

Matth. XII. 18. 19. 20. 21.

Ἰακωβὸς παῖς μα ἀνίληψομαι ἔδρα ὁ παῖς μα ὃν ἡρέτισα ὁ
 αὐτῷ, Ἰσραὴλ ὁ ἐκλεκτός μα, προσ- ἀγαπητός μα εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ
 ἔδρα ἡ ψυχὴ μα, ἐδώκα ψυχὴ μα, θήσω τὸ πνεῦμά μα ἐπ'
 τὸ πνεῦμά μα ἐπ' αὐτὸν, κρίσιν αὐτὸν, καὶ κρίσιν τοῖς ἔθνεσι διαγ-
 τοῖς ἔθνεσι, ἐξοίσει, καὶ κεκράξεται γελεί. Οὐκ ἐρίσει ἔδρα ἀκούσει τις
 ἔδρα ἀνήσει, ἔδρα ἀκούσει αἱ ἔξω ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτῷ.
 ἡ φωνὴ αὐτῷ. κάλαμον συνίε- κάλαμον συνίεθιμμένον καὶ κατε-
 τλασμένον καὶ συνίψει, καὶ λίνον ἀξει, καὶ λίνον τυφόμενον καὶ σβέ-
 καπνίζόμενον καὶ σβέσει, ἕως αὐτῷ ἐπι τῆς γῆς κρίσιν, καὶ κρίσιν καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτῷ ἔθνη
 ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτῷ ἔθνη ἐλπίσιν ἐλπίσιν.

Si unum tantum hunc locum adduxissem, satis ostendissem maxi-
 mam differentiam inter LXX Interpretes & Matthæum, eamque
 non tantum verbalem, sed &, quod præcipue notandum, realem.
 Nulla in tota pericopa propositio est, in qua non occurrat literalis
 discrepantia. At reale discrimen ponderosius est. Græci aperte hunc
 textum de Israële intelligunt juxta mentem plurimorum Rabbino-
 rum. vid. AbenEfram & R. Salomonem, quæ tam turpis error est, ut
 eum saniores etiam Judæi, Chaldæus, Kimchius, Abarbenel, &c. dete-
 stentur. Corrigit hunc errorem Matthæus, diserte locum de Salva-
 tore exponens, quæ dedita opera phraseos disparitati hic studuisse
 dixeris, ut tanto longius sese ab omni erroris hujus commercio remo-
 veret. An quisquam tantopere præoccupatus amore LXX Inter-
 pretum esse potest, quæ asserat Matthæum sua eos allegatione autori-
 tate divina donasse? Interpositum veru significat LXX Interpretes

hic

hic quædam de suo textui inferuisse, quæ in Hebræo non extant. Ea dum non allegat jugulat Matthæus tanquam spuria. Quid quæso hic suffragii à Matthæo nanciscuntur Græci ?

LXX. Ps. LXXVIII. 2.

Ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς τὸ στόμα μου, φθεγγόμεαι προβλήματα ἀπ' ἀρχῆς.

LXX. Dan. XII. 3.

Ἀπὸ τῶν δικαίων τῶν πολλῶν ἐκλάμψουσιν.

IN Hebræo est **דִּבְרֵי יְרֵמְיָהוּ** justificantes multos. Græci falso legunt **דִּבְרֵי יְרֵמְיָהוּ** ex justis multorum, inepto sensu. Jure ergo emendati à Matthæo, non quidem literam, sed sensum exprimente.

LXX. Gen. II. 24.

Ἐνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα αὐτοῦ καὶ τὴν μητέρα καὶ προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ αὐτοῦ καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.

IN Hebræo est **דָּבַר בָּשָׂר** erunt in carnem unam. Græci addiderunt ex v. 25. **דְּבַר שְׁנַיִם** duo illi, quod ipsum probat S. Matthæus, docetque suo exemplo licere Interpreti & paraphrasten interdum agere.

LXX. Zach. IX. 9.

Ἴδὲ ὁ βασιλεὺς σου ἔρχεται σοι δίκαιος καὶ σώζων αὐτὸς πρᾶυς καὶ ὑπειβητικῶς ὅτι ὑποζυγίου καὶ πῶλον υἱόν.

LXX. Deut. VI. 5.

Ἀγαπήσεις κύριον τὸν Θεόν σου ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου καὶ ἐξ ὅλης δυνάμεώς σου.

Matth. XIII. 35.

Ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς τὸ στόμα μου, ἐρεῦξομαι κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμου.

Matth. XIII. 43.

Οἱ δίκαιοι ἐκλάμψουσιν.

Matth. XIX. 5.

Ἐνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα, καὶ προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ αὐτοῦ, καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.

Matth. XXI. 5.

Ἴδὲ ὁ βασιλεὺς σου ἔρχεται σοι πρᾶυς καὶ ὑπειβητικῶς ὅτι ὄνον καὶ πῶλον υἱόν ὑποζυγίου.

Matth. XXII. 37.

Ἀγαπήσεις κύριον τὸν Θεόν σου ἐν ὅλη τῇ καρδίᾳ σου καὶ ἐν ὅλη τῇ ψυχῇ σου καὶ ἐν ὅλη τῇ διανοίᾳ σου.

Marcus

MArcus Cap. XII. 30. & Lucas Cap. X. 25. hoc dictum ita allegant, Muti illud transtulerunt LXX. Contra Matthæus literam moderni Hebræi textus tenet, qui habet ככל לבבך in omni corde tuo. Si ergo Hebraice scripsit, si eundem, quo LXX usi sunt, habuit Hebræum codicem, diversum à moderno, quare literæ moderni tam arcte inhærent?

LXX. Zach. XIII. 7.

Πάταξον τὸν πιμένα καὶ δια-
σκορπισθήτωσαν τὰ πρόβατα.

Matth XXVI. 31.

Παλάξω τὸν πιμένα καὶ δια-
σκορπισθήσεται τὰ πρόβατα τῆς
πίμνης.

EX hac collatione clare patet 1. Matthæum sæpius emendasse Græcam versionem ad mentem Hebræi textus, quem adhuc versamus nostris manibus, *Matth. I. 21. II. 5. II. 15. IV. 15. 16. VIII. 17. X. 36. XII. 18. 19. 20. 21. XIII. 35. XIII. 43. XXI. 5.* Si ergo Hebræo usus est codice, moderno usus est, non eodem quo usi LXX Interpretes. 2. Matthæum sensum sæpius respexisse non semper literæ inhæsisse, *Matth. I. 21. IV. 10. XI. 10. XXVI. 31.* Atq; adeo suo exemplo docuit hoc esse boni interpretis. Perperam ergo ex discrepantia locorum allegatorum à litera Hebræi codicis, originali textui suspicio corruptelæ affricatur. Id quod subinde facit Cl. Autor ac imprimis in dictis ex Matthæo allegatis. 3. Matthæum sæpe sine necessitate pro lubitu discedere à versione Græcorum, ut ostendat se libere transferre Hebræum textum *Cap. II. 17. 18. XXII. 37.* ac, quod notandum, discedere sæpe in minimis *Cap. III. 3. IX. 13. XII. 18.* Deniq; 4. Matthæum approbare interdum Græcam versionem, sed non nisi iis in locis in quibus quadrat ad mentem & institutum suum *Cap. IV. 10. XIX. 5.* Puto dissensum Matthæi & Græcorum, cuius ex his evidentissime patere. Omnem ergo vim perdit probatio integritatis Græcæ versionis ab allegatione Matthæi desumpta. Ne dicam, quod allegatio CHRISTI cum allegatione Matthæi non debeat confundi. Non enim sequitur Matthæus citat dicta à CHRISTO allegata ex Græca versione, Ergo etiam CHRISTUS ea ex Græcis citavit, aut ea quæ CHRISTUS citavit quoad literam prorsus fuere conformia cum Græco textu.